
Paracelis
1584







AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI

De summis Naturæ mysteriis Commentarij tres,

A

GERARDO DORN conuersi, multóque quàm antea fideliter characterismis & marginalibus exornati, auctíque.

Quorum nomina sequens pagella dabit.

BASILEAE,
EX OFFICINA PERNÆA
PER CONR. VVALDKIRCH,
CIƆ IƆ XXCIV.

Libri, qui in hoc Opere continentur.

De Spiritibus Planetarum,
De Occulta Philoſophia.
De Medicina cœleſti, ſiue de ſignis Zodiaci & Myſteriis eorum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI FRIDERICO, PALATINO COMITI, SACRI Rom. Imperij Archidapifero, Duci Bauariæ, Principi Electori, &c. Salus.

IN hoc ferreo, postremoq́ʒ seculo, non nisi feces artiũ superesse videmus, etsi nonnulli putẽt eas maximè vigere propter sermonum ornatum, quo palliatæ sunt, vt aliquid esse præclari hominibus appareant. Verùm si eas conferamus ad illas, quæ primis omniũ temporibus tractatæ sunt, vix vmbræ dici merebuntur. Piis ac illis Hebræis tantùm, qui Spiritu Dei fuerũt illuminati sinceræ puræq́ʒ reuelatæ, ad Aegyptios, eosq́ʒ solùm, qui probi fuerunt peruenientes, aureo sæculo floruerunt. Medio quidem ab archisophistis, quos ætas hæc peperit cõtaminatæ, conspurcatæq́ʒ mẽdis extiterũt, indiesq́ʒ magis vsq́ʒ dũ extremis his

temporibus, à plurimis eorũ ſectatoribus, vtrumq; philoſophiæ latus, quæ prius à primis Patribus Magia dicta fuit, in eo ſtatu miſero celebratũ eſt. Poſtremo nunc tẽpore (quo quidẽ Helias Artiſta voluit artes in priſtinũ ſtatum reſtitui, vt eo die, quo nihil tam occultũ fuit vnquã, quod nõ reuelabitur) pios, probosq; viros excitauit, qui Phœnici veræ, nempe Veritati, pennas ab aliis eradicatas ex eius verbo, virtuteq; reſtituãt. Magiæ veræ, nec nõ philoſophiæ dextræ, Theologia iudicãda eſt: ſiniſtra verò humanarũ noticia rerum omnium. Prius membrũ enim videmus (Deo laus, cuius etiam viutute factum) per bonam Europæ regionum partem à tenebris, quibus immerſa diu, detentaq; fuit à primis hominibus, tanquam à carceribus emergere. Poſterius autem Paracelſus noſter gratia, virtuteq; ſibi conceſsis à Domino, primus ab iniuriis vindicare cœpit. Sperandum vtiq; Deum & alios in ſuam meſſem

opera-

operarios breui missurum. Quanquam, vt ab initio mundi, Calumniator suos excitare non cesset hactenus: minimè verò curandum. Contra Veritatis stimulum, non prævalebunt aculei Mortis. Spiritus ille nequam falsitatis omnis artifex, mundo reuelari cœpit ac innotescere, qui diu iam vt anguis sub herba, floribusq; latuit, vt imperceptibili modo seduceret plurimos, quod fecit. Verùm bonæ pars authoritatis & potestatis ei per Veritatis authorem ademta sibi iam fuit. Quo fit, vt ita rugiat regni sui ruinam præuidens. Quid non falsarat iste? vbi non lollium & zizanias seminarat? Opera summi Creatoris inuertere, sed frustra semper conatus est. Nonne Dei Sapientiæ lucem, sub specie lucis, cautelosè, mirum in modum hominibus obfuscauit? quum sub Magiæ nomine, quæ vera Sapientia est, Necromantiam, Sciomantiam, & alia fascinationũ suarum veneficia mundo subtrusit, quo veros Ma

gos ſupprimeret, eorum loco Sophiſtas ex inferis adducens, qui perſuaderent hominibus, Magos fore ſuos, & ita morti millénque ſupplicis traderentur: ea via credens miſeris mortalibus theſaurum ſummum, nempe Veritatis cognitionē de manibus eripere. Verùm Leo potens de tribu Iuda vicit, vt ſuos de manibus eriperet Calumniatoris atq; filiorū eius, qui non alia via, quàm per calumnias Veritatis filios opprimere conantur in omnibus profeßionibus, vt iam Theophraſtū Paracelſum noſtrum, quem nō aliis armis oppugnare poſſunt eius aduerſarij, quàm quòd falsò fingant ipſum fuiſſe Necromāticum. Si Magum fore dicant, fatebimur. Nonne Magi Deo fuerunt accepti, qui filium eius ex Oriente venientes in Bethleem adorarunt muneribusq; honorarunt? Quis ergo Magiam alius, quàm Diabolus & ſui vituperant, eam falſißimo Necromātiam appellantes? Id Paracelſo noſtro ſummæ pietatis viro,

tis viro, probatissimæq; fidei (prout eius testantur scripta quæuis) cõtingit hac tẽpestate, vt à plurimis calumniatoribus audiat immeritò cum suis discipulis, ipsum fuisse Necromanticũ, ideo quod superiorũ vires cognouerit, ac inferiorum indagator & solertissimus experimentator extiterit. Characteristicã artem (inquiunt) exercuit, ergo Necromanticus. Falsa consequentia est: quod nulla characteristica sub Necromãtia contineatur, nec diabolicis artibus, præter illam, quam Diabolus falsam reddidit, eius vsum ad hominũ perditionem contorquẽs atq; detrimentũ. At illa, qua Paracelsus noster vsus fuit, in hominũ vtilitatem vergit ac Medicinã tantùm, quare sub Magia vera per charitatis executionem in proximum comprehenditur. Doceant isti Veritatis aduersarij, Virum hunc scripsisse, quod non Euangelicis Scripturis, ac sacris comprobarit, confirmariq; possit literis. Id cũ Veritate nunquam fa-

cient, præter quàm auxilio Calumniatoris, quo hactenus in illum frementes vsi fuerunt. Contrà nos adducimus eius Philosophica scripta quædam in rerum inferiorum potißimã cognitionem, occultam eius Philosophiam, & cœlestem illam Medicinam, quam Caracteristicam appellãt eius aduersarij, non alia de causa, quàm quòd eos malè habeat ingenij tanta fœlicitate se minimè dotatos esse diuinitùs vt ipse, quo valeant arcana diuinaq; Dei, Naturæq; mysteria cognoscere vel intelligere. Si quid à Christiano reperiant in eis alienum, sacris etiam Scripturis, vt ipse corroborauit, redarguant. Nulla ratione recipiemus Gentilium suorum doctorum authoritates, quòd nullus eis verè Christianus astrictus sit. Nõ enim à Christiana religione, quauis astutia nos ad infidelium dogmata retrahere, vel vllo modo sinimus. Sat nobis est, quòd semel eorũ laqueis adhuc iuuenes irretiti fuerimus, ac iam Christi manu

ſti manu liberati Veritatis lucem videamus. Nemo vel tota mundi ſapientia, vel Serpentis imbutus aſtutia nos ab ea reducet in tenebras, donec manus Dei nos protexerit. Sat ſcio plurimùm eos ægrè ferre, nos vniuerſæ Philoſophiæ ſtudia, ſacris in Scripturis fundare, quòd ſciant hoc fundamentũ ſuis minimè cedere flatibus. Quid ad hæc adferent aliud, quàm humanas artes ad ipſam Theologiam (vt ipſi falſo quidem arbitrantur) minimè referri debere? Sed qua ratione quæſo meliùs aut prolixius à Chriſto recedere poßint, adq; Gentiles proximius accedere, quàm à ſua fide charitatem excludentes? Decet ne vel mechanicum hominem artem ſuam exercere ſolius lucri cauſa, proximi, nec non vtilitatis oblitus Reipublicæ, quam proprio commodo chariorem habere debet? Non ſanè, ſi non Gentilium inſtar viuere velit, qui charitatis ignari fuerunt, nempe Chriſti, ſolam fœlicitatẽ, & ſummum bonum

in vita postquam mortẽ mundo celebrem famam reliquisse posuerunt: quod omnes ferè Poetæ laudandum inter eiusmodi suos illustres testantur vanis carminibus, & illi, qui Christianam profitentur fidem imitati sunt hactenus etiam vt illi canentes, &c. Non sine causa profectò hæc attulimus: videmus enim artes ad nequitiam Diaboli proximius hoc infelici plurimùm sæculo, quàm ad veram Dei sapientiam Christũ accedere. Sed missa faciamus hæc, & Magiæ veræ defensionẽ prosequamur. Ab eo tempore, quo hæc à mundo contempta fuit, ex artibus nil vel Deo dignum videre licuit. Quare nostri, miseriæq; mundi misertus omnipotens Dominus, eam restituere cœpit his postremis temporibus, vt impij videant in quem pupugerunt. Fælicioribus annis Principes Magiæ maximi cultores extiterunt, ac Sacerdotes: iam nemo vel audito solo vocabulo non detestatur, & eius professores: cùm nullus eorũ,

qui

qui cōtradicunt ei, valeat inter Magiam, & artes diabolicas vllū facere discrimen. Hinc fit, Illustrißime Princeps, vt istius Excellentißimi Viri Philosophi scripta quædā in Magia naturali, traduxerim è Germanico sermone, latinèq; reddiderim vt viderēt omnes iudiciosi, mentisq; sanæ viri, quàm falso criminatus sit, & cauillatus in eum per suos Diabolus. Nihil in illis habetur, quòd non salua cōscientia tractari poßit: cum in commodum ac vtilitatem proximi tendant omnia, nec nō ad Medicinam referantur. Docet enim per ea mederi morbis, quos alia medicamenta corporum elementatorum curare non possunt: item humanam à periculis vitam præseruare, ac sanam conseruare, tum alia quædam vsui hominum apprimè necessaria.

Nihil, quod in proximi detrimentum faciat, inserit: imò contra dicit quoties Magiæ præceptis abutitur quis, vt fratri

suo damnum adferat, eum & suas artes igni merito fore tradendas, quòd similium hominum ars magica, tunc in Nigromantiam, fascinationem, aut superstitionem conuertatur. Potest etiam homo nequam abuti sacris literis ad hunc modum: non sunt propterea contemnendæ, nec Magia propter abusus condemnanda, sed abutentes eis castigandi. Quid multis? hæc semper fuit ignarorum & vilium conditio hominum, vt quod ingenio rudiori suo non valent assequi, damnent per inuidiam: nec ignaros tamen fore se iudicant, sed plurimum sapientes, verùm ipsimet hoc ipso stultitiam suam verè sapientibus palam faciunt, etsi coram vulgo sapere videātur. Expectamus quid contra hanc Paracelsi Magiam allaturi sint: nil extra consuetudinē suam, at calumnias tantùm. Si quid rationis aut argumenti habent, quod ista labefactare queat, scriptis publicis committant, vt si quid erroris à Paracelso com-

missum sit, videant illi, qui scripta sua ferè iam per totam Europam legunt, ne seducantur homines. Et nos perfectò recedemus ab eo, si docuerint veris probabilibusque Scripturæ sacræ testimoniis ad rem adductis, eum contra Dei præceptum vel minimum apicem docuisse. Neminem seducere cupimus, nec à quouis etiam seduci, neque pertinaciter defendere mendacium. Quapropter obnixè rogamus omnes vt si nos ab eo seductos fore putent, Charitatis in fratres ergó, veram in semitam reducant. Sed videant prius ne id se facere posse credentes, aut sibi nimiùm indulgentes, ab ea nos retrahere potius conentur: nam ita facilè non credemus eis, nisi fundatißimas ex Euangelio rationes adferant: quod si fecerint, libentißimè cedere nos oportebit, aliàs minimè Christiani sumus, & non Gentiles: quare vias istorum ingredi nolumus, nec ab eis quicquam addiscere, cùm perfectùm agnoscamus Præ-

ceptorem nostrum Christum, & eius doctrinam nulla parte fore defectuosam optimè sciamus, & horum non indigere correctione. Hæc est etiã nostri mundani Præceptoris Paracelsi vera sentẽtia, videlicet: Omnes humanas artes, Philosophiã, Medicinam, item ipsas mechanicas, quoad vsum, extra quem nullæ sunt, in Sacris literis fundatas esse debere. Sed quid latiùs Illustrißime Princeps istius Philosophi nostri pietatem prædicare frustra conabor? Cum scriptorum eius, ad Gentilia dogmata facta comparatione, manifestimè pateat? Huius igitur Philosophiæ partis ipsius, aut veritatis in ea contentæ saltem, patrocinium atque tutelam suscipere digneris precor, Spero quidem vbi legerit Illustrißima Tua Excellentia, quid arcanorum occultorumq; mysteriorum naturæ contineat, haud recusabit istius viri scripta contra suos aduersarios ab iniuriis defendere, quòd sciam animi tui splen

dorem

dorem, Veritatis & æquitatis in omnibus amare lucem, præ cæteris aliis quibuſcunque rebus. Fœliciter igitur Princeps Illuſtriſsime, vale.

Illuſtriſsimæ C.T.

Seruulus infimus

GERARDVS DORN.


EFFIGIES.AV.PH
THEOPHRASTI.
PARACELSI.
ÆTA.SVÆ.47.
ALTERIVS NON SIT
QVI SVVS ESSE POTEST,

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI LIBELLVS DE *Spiritibus Planetarum.*

PROLOGVS.

INVOCATO priùs nomine Domini IESV CHRISTI, nostri Seruatoris, Opusculum hoc auspicabimur: quo docebimus nedũ inferiora metalla quæuis in meliora transmutare, prout ferrum in cuprum, hoc in argentum, istud in aurum, &c. verùm etiam infirmitates omnes putaticiis & præsumptuosis Medicis curatu minimè possibiles, tollere: tum quod magis est, mortales homines in vita longa sana, perfectáque præseruare, conseruaréque. Hæc ars à Domino DEO, summo Creatore, tanquam libro metallorum corporibus insculpta fuit ab initio creationis, vt ex eis addisceremus cum

diligentia. Cùm igitur homo perfectè hanc artem perdiſcere voluerit ex vero ſuo fundamento, neceſſarium erit, vt à ſuo Magiſtro diſcat, à DEO videlicet, qui cuncta crearit, ſolúſque nouit, quid in vnaquaque creatura proprietatis ipſemet poſuit, atque naturæ. Quare certiùs atque perfectiùs alio quouis docere poteſt: item abſolutè nos ab eo diſcere valemus, quod loquitur inquiẽs: A`me diſcetis omnia: Nihil enim in cœlo reperitur, nec in terra tam occultum, cuius proprietates non perſpiciat, exactiſsimè nouit ac videt ille, qui cuncta creauit. Voluimus igitur eum introductorem in hanc artem veriſsimã aſſumere Magiſtrum, & operatorem, ipſum imitari ſolum, & per ipſum naturam, quam ipſemet proprio digito corporibus metallorum inſculpſit & inſcripſit, addiſcere. Hoc fiet vt Altiſsimus Dominus DEVS creaturas omnes benedicturus ſit nobis, viáſque noſtras ſanctificaturus, vt in hoc Opere, principium ad optatum finem perducere valeamus, & ſummam in cordibus noſtris conſequi lætitiam & charitatem.

Verùm ſi quiſpiam opinionẽ ſuam propriam ſecutus fuerit, nedum ſeipſum, at etiam alios omnes, qui ſibi adhæſerint maximè decipiet, ac in diſpendium adducet. Homo ſiquidem naſcitur in ignorantia, ſic

vt

vt nihil intelligat aut ſciat ex ſeipſo: ſolùm id, quod à Deo recepit, ac à natura cognoſcit, qui nihil ab his diſcit, factus eſt ſimilis gentilibus Magiſtris, atque Philoſophis, qui propriarum opinionũ ſuarum ſequuntur ſubtilitates & aſtutias, vt ſunt Ariſtoteles, Hypocrates, Auicenna, Galenus, &c. qui omnes in propriis opinionibus ſuas fundarunt artes: & ſi quandoque didicerint aliquid â natura, ſuis iterum phantaſiis deſtruunt, & propriis ſomniis, vel inuentionibus, priuſquam ad finem perueniant, ſic vt per ipſos & ſui ſequaces perfecti nihil inuentum ſit vnquam. Hoc nos mouit, eóque perduxit, vt peculiarem in Alchymia libellum ſcriberemus, non ſuper homines: at ſuper naturam ipſam fundatum, & virtutes ac vires, quas DEVS proprio ſuo digito metallis impreſsit. Huius impreſsionis imitator fuit Mercurius Triſgemiſtus, qui nõ immerito pater omnium ſapientum vocatus eſt, ac eorum, qui hanc proſequuntur artem amore, ſummóque deſiderio, vir iſte creaturarum omnium cauſam & originem, DEVM ſolum in hac arte fore demonſtrat ac docet: non autem DEI vires atque virtutes creaturis aut rebus viſibilibus tribuit, quod prædicti Gentiles faciunt, ac ſui ſimiles. Cùm igitur omnis ars à tribus addiſci debeat, videlicet à DEO Patre, DEO Dei-

Mercurius Triſmegiſtus pater omniũ ſapientum.

que Filio, nostro Seruatore IESV CHRISTO, ac DEO Spiritu Sancto, tribus distinctis & vnico DEO: volumus etiam Opusculum hoc Alchymisticum in tres diuidere tractatulos, in quorum primo ponemus quidnam ars in se cõtineat, & quæ sit cuiusque metalli proprietas atque natura. Secundo, quo medio potest homo similes vires metallorum in effectum adducere. Tertio, quinam tincturę ☉ & ☾ producendæ sint.

Opusculi huius diuisio.

De Igne simplici. Cap. I.

PRincipiò declarandum, quid hæc ars comprehendat, quidque sit ei subiectum assumemus, & quæ sint eius proprietates. Primum & potissimum huic arti subiectum est ignis, qui semper in eadem operatione viuit & proprietate, nec ab alio vitam recipere potest. Quapropter conditionem & vires habet, omnes ignes in occultis latentes viuificandi, non aliter quàm Sol à Deo constitutus est, qui cuncta mundi cùm occulta, tum apparentia, manifestáque accendit, prout Martis sphæras, ♄. ♀. ♃. ☿. & ☾. quę nõ possẽt aliter lucere, nisi lumen suum à Sole mutuarentur: nam per seipsas mortuæ sunt. Vbi tamen, vt suprà fuerint accensæ, viuunt, ac iuxta suas proprietates operantur. Verùm Sol ipse lumen

suum

ſuum à nullo recipit alio, quàm à DEO ſolo, qui regit illum per ſeipſum, aliter vrit ac lucet in ſeipſo. Non ſecus in hac arte fit. Ignis in furno comparatur Soli, quòd furnum accendat ac vaſa, prout Sol in magno mundo. Velut etiam in iſto mundo naſci poteſt nihil abſque Sole, pariter in hac arte nihil producitur abſque hoc igne ſimplici, quo ſine quidem operatio nulla fit, cùm potiſsimum ſit arcanum artis, omnia comprehendens in ea, quæ comprehenduntur, nec ab vllo comprehenditur alio: per ſeipſum enim perſiſtit, nullius indigus eſt, at alia quæuis indigent eo, fruuntur, & ab ipſo vitam habent: quare primùm eum declarandum ſuſcepimus.

Sol vnde lumen ſuũ recipiat.

Abſque Sole nihil naſcitur.

De multiplicitate ignis, à qua metallorum varietates oriuntur. Cap. II.

DE ſimplici priùs igne ſcripſimus, qui per ſe viuit & ſubſiſtit: iam eſt, quod loquamur de multiplici ſpiritu vel igne, qui cauſa varietatis & creaturarum diuerſitatis exiſtit, vt non vna reperiatur alteri prorſum, & ex omni parte ſimilis, vt à metallis videtur, quorum nullum ſibi ſimile habet aliud: ſuum ☉ producit aurum: aliud & longè diuerſum ☾, ſcilicet argen-

tum: aliud Mars, vtpotè ferrum: Iupiter aliud, nempe ſtannum: Venus diuerſum, quod eſt cuprum: & Saturnus aliud, videlicet plumbum, ſic vt omnia diſsimilia ſint. Itidem videtur inter homines & alias omnes creaturas, cuius rei cauſa eſt multiplex ignis. Aliam enim per calorem ſua corruptione mediam generationē producit venter equinus, aliam balneum Maris, cineres aliam, arena ſimiliter aliam: flammeus ignis aliam, & prunarum aliam, &c. Iſta creaturarum varietas non fit ex igne priore ſimplici, verùm ex regimine elementorum, quod varium eſt: non ex Sole, ſed ex ſeptem planetarum curſibus. Hac ratione mundus nihil ſimilitudinis continet in ſuis indiuiduis: nam prout calor ſingulis mutatur horis atque minutis: ſic & aliæ res omnes variantur. Tranſmutatio ſiquidem ignis fit in elementis, quibus & corporibus imprimitur per hunc illa. Vbi non magna mixtio contingit elementorum, ibidem Sol naſcitur: vbi aliquantò craſsior, Luna: vbi craſſior iſta, Venus: & iuxta mixtionum diuerſitatem, naſcuntur varia metalla, ſic vt nullum appareat in ſua minera, prout aliud. Sciendum igitur hanc metallorum varietatem ex elementorum fieri mixtione, propter quam ſpiritus eorum ita diuerſi repeririuntur, & abſque ſimilitudine. Quæ ſi naſcerentur

Ignis cui' rei cauſa multiplex.

Mūdus qua ratione nihil ſimilitudinis contineat in ſuis indiuiduis.

Metallorum varietas vnde.

ſcerentur

ſcerentur ex igne ſimplici, ita ſimilia forent, vt vnum ab altero dignoſci nequiret. Verùm intercedente multiplici formarum varietate, in creaturas introducitur Ex his facilè colligi poteſt, cur tot ac tam varia metalla reperiantur, & quare nullum alteri ſimile ſit.

De ſpiritu vel tinctura ☉. Cap. III.

NVnc ad ſpiritus planetarum vel metallorum veniamus. Spiritus vel tinctura ☉ à puro, ſubtili, perfectóque ſumpſit exordium, igne: quo fit, vt omnes alios ſpiritus metallorum atque tincturas longè ſuperet. Conſtanter enim ac fixus in igne manet, à quo non euolat, nec ab eo conſumitur, minùs vritur: at potiùs per ipſum clarior, purior & pulchrior euadit. Nihil etiam ei nocere poteſt calidum, neque frigidum, item aliud nullum accidens, prout aliis ſpiritibus metallorum, vel tincturis. Hac de cauſa corpus, quod ſemel induit, ab accidentibus & morbis tuetur omnibus, vt ignem ſuſtinere valeat abſque detrimento. Corpus hoc vires & virtutes eiuſmodi non habet ex ſeipſo, at ex ſpiritu ſolo, qui eſt in ipſo concluſus. Scimus enim Solem corpus fore Mercurij, & hunc minimè ignem ſuſtinere, nec pati poſſe, verùm ab eo fugere. Cùm igitur in ☉ non euolet ab igne,

ſed fixus & conſtans in eo maneat: indicium id nobis præbet certiſsimum, ipſum talem ac tantam à ſua tinctura vel ſpiritu ſuo recepiſſe conſtantiam. Quapropter ſi hoc ſpiritus iſte poteſt in ☿, poterit vnuſquiſque iudicare, ſimile quid etiam in hominum corporibus operari poſſe, quum ab iſtis recipitur, vt in noſtra Chirurgia magna de tinctura ☉ diximus abundè ſatis, vtpotè nedum renouare, præſeruaréque ab infirmitatibus vtentem ea, ſed in vitam longam & ſanam conſeruare. Pariter aliorum vires & virtutes metallorum cognoſcendæ ſunt ab experientia vera, non ab hominum & mundi ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum & veritatem eius: & omnes, quotquot ſuper illam ſapientiam ædificant, ſpêmque ſuam reponunt, miſerè decipiuntur.

Metallorum virtutes vnde cognoſcendæ.

De tinctura, ſpirituq́ue ☾. Cap. IIII.

POſtquam de tinctura ☉ clarè ſatis locuti ſumus, de tinctura ☾ iam eſt quòd aliquid adferamus, ac de alba, quæ ſimiliter ex perfecto ſpiritu nata eſt, minus tamen perfecto, quàm ☉ ſpiritus: nihilominus omnes alias metallorum ordine ſubſequentium tincturas puritate, ſubtilitatéque ſuperat: quod quidem notum eſt omnibus ☾ tractantibus, etiam ruſticis. Aeruginem ſiquidem

ſiquidem non concipit, nec etiam igne conſumitur, prout alia metalla, quæ ♄ omnia ſecum euolans ab igne trahit, hoc autē non: inde colligi poteſt, eius tincturam aliis infrà poſitis longè fore præſtantiorem. Suum corpus etiam, quod induit, in igne conſtanter ab accidente quouis ac detrimento præſeruat. Inde ſatis conſtat, ſi hoc in ſuo corruptibili per ſe corpore faciat ☿, quid ex eo tractum in aliud efficere valeat: an non illud etiam ad eundem modum ab infirmitatibus & accidentibus tuebitur? ita ſanè, ſi hoc ☿ in ſuo corpore faciat, in hominum corporibus id ipſum præſtabit. Nec ſolùm ſanitatem, ſed vitam longam etiam conſeruat, & morbos curat, ac tollit: eos nempe, qui cōtra ſuum gradum exiſtunt. Nam quò medicina fuerit altior, ſubtilior & perfectior, eò melius etiam curat, ac perfectius. Quapropter Medici rudes illi ſunt, qui ſuā artem ſolùm ſuper vegetabilia fundant, prout herbas, & ſimilia facilè corruptibilia, quibus opera conantur firmia, fixáque perficere, ſed fruſtrà, cùm feriant aērē. Quid eſt, quòd multum loquamur de his? meliora non didicerunt in ſuis Vniuerſitatibus. Quare ſi ab initio diſcere cogerentur, ac ſtudere, putarent id ſibi maximo dedecori futurum: eo fit, vt in ignorantia ſua veteri maneant.

Lunæ tinctura.

Medicina quò ſubtilior, eò etiā pfectius curat.

De spiritu ♀. Cap. V.

ANtea spiritus albi, vel tincturæ candidæ meminimus: iam de rubeo spiritu loquemur, qui natus est ex elementali crassa mixtione superiorum, quibus etiã subiicitur, nihilominus pefectior aliis metallorum subsequẽtium spiritibus existit, atq; tincturis. Hac de causa reliquis in igne constantius manet, vt non ita citò se cõburatur, aut euanescat, prout illi, qui sequuntur spiritus. Item aër & aquæ humiditas ei non tantum, quantum ipsi Marti nocent, quo fixius in igne, diutiúsque manet. Hanc vim atque proprietatem habet ♀, id est, corpus eius, à spiritu, qui fuit illi infusus. Cùm igitur id efficiat in suo corpore, hoc est, in ♀: tantundem etiam efficit in homine, quantum à natura sibi concessum est. Præseruat enim ad hunc modum vulnera, vt nullum accidens ea valeat inuadere, nullus etiam aër eis, nulláue posit aqua nocere. Morbos etiam pellit omnes, qui sub suo gradu sunt. Spiritus hic etiam corpora disrumpit metallorum, sic vt malleationem amittant: non aliter in corporibus hominum, cùm ad mortẽ assumitur, cui non conuenit, efficit quod nõ est conueniens. Quare necessarium est, Medicum istis vti cupientem, expertum fore, bonámq; metallorum habere

Veneris proprietas & vires.

habere cognitionem. Verùm longè foret melior ſpirituum vſus perfectorum, quo tutiùs agi poſſet abſque periculi metu quopiam. Cùm tamen ☉ & ☾ chara ſint, vt non vnuſquiſque valeat curas per ea factas perſoluere: ſumendum eſt iuxta facultates igitur, quod haberi, ſoluique poteſt. Etiã quiſque tantæ non eſt opulentiæ, vt illa præparare medicamenta ferat, quare facere cogitur quod poteſt. Facilè colligere quiuis poterit ex his, quæ dicta ſunt, metallica medicamenta multò ſuperare vegetabilia, nec non animalia viribus atque medendi potentia. Hactenus de ſpiritu Veneris ſat, ſupérque dixiſſe volumus.

De ſpiritu ♂. Cap. VII.

DE ſpiritu ♂ vt loquamur, hic eſt ex craſſa, combuſtibiliq; mixtione quadam elementorum, magis quàm præcedentes alij: ſed maiori duritie præ cæteris metallis ornatus eſt ♂, ſic vt non fluat in igne prout illa. Verum eſt, aqua nec non aëre lædi magis, vt iſtis proſum abſumatur, & comburatur igne, prout experientia patet: quare ſpiritus eius imperfectior ſuperiorum quouis alio: duritie tamen & ſiccitate ſuperat omnia, cùm ſuperiora, tum inferiora metalla. Non ſolùm enim perfecta reddit malleis renitentia prout ☉ & ☾,

at etiam illa, quæ ponuntur infra se, nempe ♃ atque ♄, & similia. Cùm igitur id in metallis operatur, indiciũ est, in hominum corporibus idem efficere, videlicet ad reluctantiam, præsertim vbi non ad conuenientem assumptus morbũ fuerit, membra non sine maximo dolore torquet. Attamen cùm ad vulnera suum gradum non excedentia sumptus est in vsum & applicationem, ea mundificat prorsum, &c. Quare spiritus iste non minoribus viribus & potentia dotatus vno superiorum, in his, quæ à Deo & natura fuit ordinatus.

Mars in hominum corporib⁹ quid operetur

De spiritu ♃. Cap. VII.

Iupiter ex qua substantia natus.

DE spiritu Iouis hoc sciendum, ipsum ex ignis alba nec nõ pallida fore substantia natum, vnà cum propriæ crepitationis, frangibilitatísque natura, non ita malleabili prout Mars: quare metalla quæuis disrumpit, ac malleis frangibilia reddit: exemplum videtur, cùm ☾ coniunctum est, istam vix ad suam priorem adduci malleationem posse, nec nisi maximo labore. Idipsum in aliis omnibus metallis efficit, præterquàm in Saturno solo. Si hoc operatur in metallorum corporibus, in humanis etiam: in quibus membra corrodit grauibus admodum vstionibus & fossionibus,

nibus, ſic vt illa prorſus à ſuis perfectis operationibus impediantur, ac amittant illas, vt iuxta naturæ neceſsitatem & requiſitionem eas adimplere nequeant. Nihilominus hoc virtutis habet ſpiritus iſte, vt cancrum, fiſtulas, & ſimilia quæque tollat vlcera, potiſsimùm illa, quę ſuæ naturæ ſunt, gradúmque ſuum nõ excedunt, quem Deus dedit illi, & natura.

Iouis virtus.

De ſpiritibus ♄. Cap. VIII.

SAturni ſpiritus eſt ex elementorum ſicca, tenebroſa, frigidáque permixtione concretus atque formatus, quo fit, vt inter omnes alios minus maneat in igne, viuátque. Quum tamen ☉ & ☾ probanda ſunt atque depuranda, ♄ eis adiicitur, qui mundiſsimè repurgat illa: nihilominus iſtius eſt naturę, vt eis malleationem adimat. Idipſum etiam operatur in hominibus maximis cum doloribus, prout ♃ & ♂, ideò quòd frigore mixtum eſt, quare non ita mitè poteſt agere. Maximas etiam vires atque virtutes habet, quibus fiſtulas, cancrum, & ſimilia curat vlcera, quæ ſub ſuo gradu, ſuáque natura ſunt. Morbos eiuſmodi pellit extra hominem, vt extra ☾ impuritates. Si tamen vnà prorſum non exiuerit, plus infert damni, quàm vtilitatis. Quamobrem

Saturn⁹ cur minus maneat in igne, viuatque.

Saturnus in hominibus quid operetur.

Saturni vires.

eo qui voluerit vti ſcire neceſſariò debet, quos morbos curat, ad quos aſſumendus venit, & quid ei natura tribuerit: quo bené conſiderato, nihil inferre damni poteſt.

De ſpiritu craſſo ☿. Cap. IX.

MErcurij ſpiritus, qui ſuperioribus tantùm ſpiritibus ſubiicitur nullam omninò determinatam aut certam formam habet in ſe. Hoc fit, vt quoduis metallum admittat, non aliter quàm cera ſigilla recipit omnia, cuiuſcunque formæ ſint. Ita comparandus venit iſte ſpiritus craſſus elementaris, ad alios metallorum ſpiritus. Nam ſi recipiat in ſe ſpiritum Solis, hic fiet ex eo: ſi Lunæ hæc: ſimiliter cum cæteris omnibus metallis agit, cum quibus concordat, eorum etiam proprietates in ſe recipit. Hac de cauſa iuxta corpus, aliis ſpiritibus ſupraſcriptis non aliter appropriatus eſt, quàm viro mulier. Sol enim corpus eſt Mercurij, excepto ſolo, quòd Sol Mercurium figat, & fixus ſit. Verùm communis Mercurius inconſtans & volatilis: nihilominus ſupraſcriptis omnibus ſubiectus eſt, & nō ſupradictos ſpiritus metallicos ac tincturas: verùm metallum ipſum, per quod prænominatæ tincturæ ſuam in operationē veniunt, generat iterum. Quandoquidem niſi medium

Mercurius cur quoduis metallū admittat.

dium obseruatum sit, impossibile fuerit etiam eiusmodi tincturam perficere. Nam vbi nimis altus ignis, qui tincturam hanc viuificare debet, extiterit, operari minimè poterit: itidem si debilis existat. Quare scitu necessarium hoc loco, quid in hac arte medium, quidque virium & proprietatum habeat: item qua ratione regendum sit, & quî tincturas inficere possit, vel ad perfectũ opus adducere, vt germinent, ac appareant. His paucis primum hunc tractatulum absoluisse, conclusisséque volumus.

Finis tractatuli primi.

TRACTATVLVS SECVNDVS, DE MERCVRIO PHILOsophorum, & medio Tincturarum.

PRimo Tractatulo scripsimus de spiritibus metallorum, tincturis, & proprietates omnes eorum atque naturas declarantes, & quid vnumquódque metallum generet: hoc vero secundo, Medium tincturarum, id est, Mercurium philosophorum tractabimus, per quem tincturæ, necnõ fermenta fiunt metallorum, ídque septem capitulis, prout infrà sequitur.

Ex quibus tincturæ, fermentaq́ fiunt.
Cap. I.

QVicunque metallorum habere tin-
cturam cupit, Mercurium philoſo-
phorum accipiat oportet, eúmque
ſuum in finem proiiciat, hoc eſt, in Mercu-
rium viuum, ex quo proceſsit. Hoc fiet, vt
Mercurio viuo, Mercurius philoſophorũ
ſoluatur, & iſtius ille vires accipiat: item vt
Mercurius philoſophorũ, Mercuriũ viuum
occidat, ac in igne fixũ reddat, vt ipſemet
exiſtit. Nã inter hos Mercurios talis eſt con
cordantia, qualis eſt inter virum & vxorẽ:
ſunt enim ambo ex ſpiritibus craſsis nati
metallorum, excepto quòd corpus ☉ in i-
gne fixus ſit, viuus autẽ ille Mercurius non
eſt fixus, huic nihilominus ille, tanquã ter-
ræ granum aut ſemen appropriatur, quod
exemplo declarabimus ad hunc modum: Si
quis hordeum ſeminauerit, hoc etiam col-
liget: ſi frumentum, iſtud, &c. Non aliter in
hac arte fit: vt ſi quis ſeminauerit ☉ aurum
hoc metat, & ex ☾ Lunã colligat, ſic de cæ
teris metallis. Hac ratione dicimus hoc lo-
co, ex metallis naſci tincturas, id eſt, ex Mer-
curio philoſophorum, & non ex Mercu-
rio viuo, verum hic ſemen producit, quod
prius conceperat.

De coniunctione viri cum fœmina.
Cap. II.

VT Mercurius philoſophorũ & viuus ſimul coniungantur, & hic vniatur fixo, primò ſciendum eſt neceſſariò, quantum eius aſſumendum ſit, ne plus aut minus æquo ſumptus, negotium totum vel impediat, aut penitus deſtruat. Nam ſuperfluitate ſemen ſuffocatur, vt viuere tandiu nequeat, donec à Mercurio philoſophorum fixetur: paucitate verò, quod corpus omninò ſolui non poſsit, etiam deſtruitur, vt fructum nullum adferre valeat. Quare certò ſciendum erit, quantum vnius & alterius accipi debeat, ſi tamen opus hoc ad ſui finis perfectionem Artifex adducere velit. Receptum eorũ hoc eſto, videlicet: Accipe partem vnam ad duas, vel tres ad quatuor, & non errabis, at peruenies ad optatum finem.

De vitreorum organorum forma,
Cap. III.

DEbitè coniuncta materia, rectè proportionata vaſa vitrea iuſtæ capacitatis, eſt quòd habeas, nec maiora, neque minora, quàm æquum ſit. Nam ſi iuſto maiora fuerint, diſpergitur mulier, id eſt, phlegma: quo fit vt ſemen enaſci non poſ-

sit: vbi minora, suffocatur germen, vt ad fructum peruenire non valeat: non aliter, ac si subtus arborem seminaretur, aut spinas, id verè germinare non potest, at sine fructu perit. Non modicus error igitur accidere per vasa potest, qui semel commissus, ampliùs emendari nequit eodem in opere, nec istud ad finem bonum perduci. Quapropter notato, quod sequitur, scilicet, vt accipias vncias tres cum dimidia, quatuórque libras, ita rectè progressus, materiam conseruabis, ne dispergatur, nec phlegma, neque germen impediatur, &c.

De proprietatibus ignis. Cap. IIII.

POstquam aptis vasis materiam imposueris, naturali calore fouebis, vt externus internum haud superet: nam si nimius foret, coniunctio nulla fieret, quòd intenso calore materia dispergitur, vritúrque, sic vt inde nihil oriatur boni. Quamobrem aeris media regio, per naturam ordinata est inter cœlum & terram: aliter Sol & stellæ creaturas omnes exurerent super terram, vt nihil ab ista produci valeret. Fac igitur vt inter materiam & ignem, aeream eiusmodi partem interponas, vel distantiam, ad hunc modum fiet, vt non facilè calor nocere possit quoquo modo, nec dispergere, minùs adurere.

adurere. Nam ſi minor æquo viuus ignis fuerit, nec ſpiritus quieſcet, nihil in ſuam humiditatem agens: item non exiccabitur, neque fixabitur. Spiritus namque metallorum per ſe mortui ſunt, & quieſcunt, vt nihil operari poſsint, niſi viuificentur. Non aliter in magno mundo, ſemen proiectum in terram eſt mortuum, & per ſeipſum creſcere nõ poteſt, niſi viuificetur per calorem Solis. Apprimè neceſſarium eſt igitur, ignẽ proportionatum hoc in opere conſtruere iuſto, non maiorem neque minorem, aliàs ad optatum, perfectúmque finem opus hoc nunquam perducetur.

Metallorum ſpiritus mortui.

De ſignis apparentibus in coniunctionis vnione. Cap. V.

IGnis moderato regimine, materia mouetur paulatim ad nigredinẽ. Poſtmodum quando ſiccitas in humiditatem incipit agere, pariter exurgunt in vitro flores varij diuerſorum colorum, vt in cauda pauonis apparẽt, & quos nemo prius vidit vnquam. Item quandoque vitrum apparet, ac ſi prorſus auro foret obductum. Quo percepto, certum eſt indicium viri ſemen in ſemẽ mulieris operari ac regere, nec non iſtud fixare: hoc ☿ eſt fixus agit in viuum, & hunc incipit amplecti. Poſtea, cùm humiditas defe-

cerit per exiccationem, disparent illi colores & materia tandem incipit albescere, tam diúque progreditur, donec ad supremum albedinis gradum perueniat. Apprimè notandum, ne res acceleretur, ex eorũ opinione, qui putant omninò tale negotium illi simile, quod in frumenti, nec non hominis productione cernitur, videlicet huius tempore mensium nouem, illius autem decem, aut duodecim ortus. Non ita citò Sol & Luna maturescunt, aut nascuntur, prout infans è ventre matris, aut granum ex vtero terræ. Quantò siquidem res quæpiam altior, perfectiórque natura sua fuerit, ac debet esse: tanto maiori tempore opus habet ad sui productionẽ. Sciendum enim, omne, quod citò nascitur aut fit, citò perire. Huius exemplum herbæ hominésq; præbent, quæ quòd citò producantur, aut nascantur, sic eorum vita breuis est. Non ita cùm ☉ & ☾, sed longè perfectiorem naturam habent hominibus: quo fit, vt istis etiam vitam longam exhibeant, ac à multis accidentibus morbis præseruent.

De Tincturæ perfectionis cognitione.
Cap. VI.

PRæcedenti capitulo diximus, quinam ipsa materia graduatur: hoc autem declarabimus,

clarabimus, qua ratione cognoſci queat, quando perfecta fuerit: ſic facito. Quum lapis albus ☾, per quàm albus extiterit, fruſtulum eius forcipe ſeparatum ab eo, ſuper cupream laminam igne candentem ponito: ſi fumum emittat, nondum perfectus eſt lapis, quare diutiùs relinquendus eſt in decoctione, donec ad gradum perfectionis deuenerit lapidis: at ſi fumum nullum emiſerit, perfectum eſſe credito. Itidem de rubeo lapide ☉ agendum eſt in ſui gradatione.

De augmento vel multiplicatione tincturarum. Cap. VII.

CVM tincturam à te repertam augere vel multiplicare volueris, coniunge rurſus cũ Mercurio vulgi, & per omnia rege ſicut priùs, & vna pars centuplicato plus quàm antea tinget: hoc ſæpius repetere poteris, vt materiæ tantũ habeas, quantum voles. Et quò diutiùs in igne ſteterit, eò graduatur altiùs, ſic vt vna pars eius infinitas Mercurij viui tranſmutet in optimã ☾ & ☉ perfectiſsimum. Iam habes integrum proceſſum ab initio vſque ad finem. His paucis tractatulum hunc ſecundum abſoluiſſe volumus, & nunc tertium incipere.

Finis Tractatuli ſecundi.

TRACTATVLVS TERTIVS.

TRactulo ſecundo narrauimus, quo medio tincturę vel fermenta fieri debeãt: hoc tertio dicemus, quî tincturæ ☉ & ☾ fiant, idque ſatis amplè declarabimus, & quo modo Sol cum aliis planetis fieri debeat, nempe furnus & ignis.

De ſtructura furni cum igne.
Cap. I.

MErcurius Hermes Triſmegiſtus ait, eum, qui hanc artem perficit, nouum conflare mundum: Nam ſimili ratione, qua Deus creauit cœlum atque terram, furnus cum igne ſuo conſtruendus eſt & regendus, ad hunc modum videlicet. Principiò conſtruatur furnus altitudine ſex palmorum; extenſis digitis auriculari & pollice menſuratorum, latitudine verò palmi tantùm vnius, intrinſecus rotundus & planus, ne carbones adhæreant, cuius in fundo monticulus eleuetur, vndique declinans ad limbum, & foramina ſubtùs relinquantur aperta latitudine digitorum quatuor, & cuique foramini ſuus furnus applicetur cum aheno cupreo, quod aquam contineat. Poſtmodum accipe carbones optimos, ac duros, quos

Furni conſtructio.

quos in frusta magnitudine iuglandis rumpito, his longum impleto furnum, qui tandem obturandus est, ne respirare valeat, postea succendantur carbones inferius ad foramina: si maior æquo sit ignis, lapidem anteponitò: si minor, rude ferrea moueantur carbones, vt aêre feriantur, ac decidant, augeatúrque calor. Hac via poteris ignem regere iuxta naturæ veram exigentiam, non excessiuum, neque diminutum, sed ad materiæ motum aptissimum. Hic firmamento cōparatur. Est & aliud hoc loco firmamentum, nempe materia vitro contenta: post quæ mundi forma sequitur. Ponendus est igitur furnus vt Sol in magno mundo, qui lucem præbet, vitam & calorem vniuerso furno, & omnibus instrumentis, ac cæteris quibuscunque rebus, quas concludit.

De coniunctione viri cum sua fœmina. Cap. II.

POstquam de furno tractauimus, in quo tincturæ præparandæ sunt & igne: iam scribere latiùs proposuimus, quînam vir & mulier conueniant, ac simul coniungantur: ad hunc modum videlicet. R. Mercurium philosophorum in summo suo gradu pręparatum & mundificatum: hunc solue cum vxore sua, nempe cum Mercurio

viuo, vt fœmina virum ſoluat, & hanc vir figat. Et non aliter quàm vir vxorem amat, & hæc virum ſuum: philoſophorum Mercurium, viuum Mercurium amore ſummo proſequitur, & natura mouetur erga nos affectu maximo: ſic igitur alteruterque Mercurius cum altero coniungitur, vti cum viro mulier, & iſta cum illo iuxta corpus, vt nullam differentiam habeant, ſolùm iuxta vires & proprietates, vt vir fixus eſt, mulier autem volatilis in igne. Hac de cauſa mulier vnitur viro, ſic vt virum ſoluat, & iſte figat illam, conſtantémque reddat in quouis examine, prout ſequitur. In vitrum ambo recondito perlutatum ſic, vt mulier non euolet, aut euaporet, aliàs in nihilum redigetur opus integrum.

De concubitu viri cum muliere, &c.
Cap. III.

POſtquam virum & vxorem in matrimonialem thorum collocaueris, vt in eam operari valeat ille, nec non imprægnare, ſic vt fœminæ ſemen coaguletur in maſſam per ſemen viri, ſine quo fructum nullum ipſa producere poteſt: opus eſt, vt vir ſuam in mulierem operationem habeat.

De

De coitu philosophico viri cum sua muliere. Cap. IIII.

MOx atque videris mulierem nigrum concipere colorem, certò ſcias illam concepiſſe, prægnantémque factam eſſe: cùmque viri ſemen fœminæ ſemen amplectitur, ſignum primum hoc eſt, & clauis totius operis huius & artis. Continuum igitur ſeruato calorem naturalem, & apparebit nigredo hæc, diſparebítque per conſumptionem, prout vermis vnus alium edit, ac tam diu conſumit, donec amplius nullus ſit reliquus.

De colore nigro. Cap. V.

APparente manifeſtáq; nigredine, ſciendum eſt, mulierem impraegnatam eſſe. Verùm quando cauda pauonis incœperit apparere, hoc eſt, multi ac varij colores in vitro videbuntur, indicium eſt Mercurium philoſophorum in Mercurium agere vulgarem, & ſuas alas extendere tamdiu, donec eum vicerit. Cùm igitur ſiccum agit in humidum, apparent illi colores.

De germine in vitro apparente. Cap. VI.

CVM varios illos colores videris, eſt quòd ſis conſtans in opere, continuan-

do ſemper ignē, donec pauonis canda prorſus conſumatur, & materia ☾ ſit alba niuis inſtar & candida, gradúmque ſuę perfectionis vas habeat. Tum demum à regulo fruſtulum frangere poteris, & ſuper laminam cupream ignitam ponere: ſi conſtans ibidem & fixus manſerit atq; tinxerit, fermentum erit ad ☾ perfectiſsimum. Rex iſte vires & poteſtatem habet nedum ad metalla tranſmutandum, ſed etiam ad omnes infirmitates curandum. Laudabilis Rex, & multis ornatur virtutibus, tantáque potentia, vt ♀. ♂. ♃. ♄, & ☿ in ☾ conſtantiſsimam ad examina quæuis tranſmutet, nec non hominum corpora ab infinitis morbis liberet, vt à febribus, caduco morbo, lepra, morbo Gallico, & à multis mineralibus infirmitatibus, quas herbæ nullæ, neque radices, aut ſimilia tollere poſſunt. Quicunq; hoc medicamento fuerit vſus aſsiduè, fixam, longam & ſanam eo ſibi vitam comparat.

De rubeo colore. Cap. VII.

POſtquam Rex albedine perfecta fuerit indutus, ignis continuandus erit conſtantiſsimè, donec albedo flauedinem concipiat, qui color albedinē ſubſequitur: nam agente calore quopiam in materiam albam & ſiccam, quò diutius, eò magis colo

re

re flauo tingitur, & croceo, donec in rubedinem perueniat, ſummè graduatam, vt eſt rubini color. Tum demum præparatum eſt fermẽtum ad aurum, & natus eſt Rex orientalis in regno ſuo ſedens, & potens ſuper omnes principes mundi huius.

De augmento vel multiplicatione. Cap. VIII.

HVius fermenti multiplicatio notanda eſt, ad hunc nempe modum. Soluatur in humido ſuo, poſtmodum ad regimen ignis ponatur vt prius, & aget in ſuam humiditatem citius, quàm antea: nec non tranſmutabit in ſuam ſubſtantiam, non ſecus ac parũ fermenti magnam farinę quantitatem videtur in fermentum tranſmutare totam. Quapropter ineffabilis eſt in terris theſaurus, cui mundus parem non habet, Augurello teſte, &c.

Concluſio.

ARcanum hoc ab antiquis Patribus in occultiſsimis habitum eſt, qui pôſſederunt illud, ne ad impiorum hominum perueniret manus, qui ſuas nequitias & facinora potuiſſent eo cõplere copioſius. Rogamus ergo vos, quicunque ad hoc Dei

donum aſſumpti fueritis, vt Patres imitati, diuinum hoc myſterium ſecretiſsimè tractare velitis, atque ſeruare. Nam ſi pedibus conculcabitis, aut margaritas ante porcos proſtraueritis, graue iudicium à Deo ſummo vindice credite vos audituros.

His autem, qui ſingulari gratia Dei ſunt â vitiis omnibus abſtinentiſsimi, poterit hæc ars diutius reuelari potius, quàm quibuſuis aliis. Nam penes huiuſmodi virum vnicum ſapientiæ plus inuenitur, quàm apud mille mundi filios, à quibus ars iſta nullo modo reperitur.

Quicunque hoc arcanum atque Dei donum inuenerit, is laudet altiſsimum Deum Patrem & Filium cum ſancto Spiritu, cuius Dei ſolius gratiam imploret, qua valeat eo tantùm ad ipſius gloriam vti, nec nõ in vtilitatem proximi ſui. Hoc det miſericors Deus per Ieſum Chriſtum Filium ſuum & Seruatorem noſtrum ita fieri.

FINIS.

DE OCCVLTA PHILOSOPHIA D. PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI BOMBAST, *Philoſophiæ, nec non vtriuſq; Medicinæ Doctoris excellentiſsimi.*

PROLOGVS.

DE maximis & occultiſs. philoſophari hoc libello rebus propoſui, ſingula quę ad Magiam, Nigromantiam, Necromantiam, Pyromantiam, Hydromantiam & Geomantiam attinet, clarè ſatis, vt fas eſt, aperiendo, ac omne, quod per eas inueſtigari, fierique valeat, proponendo. Philoſophia hæc progreſſum nullum per ceremonias & alios abuſus habere debet, prout hactenus falſum & in arena poſitum eius fundamentum fuit. Quo factum, vt vel leuiſsimo vento proſtrata ſint eius artificia cum inſtrumentis: & quandoq; ſublata prorſum è medio, pariter & Artifices, prę ſertim nigromantici, ventis, id eſt, ſpiritibus proſternuntur, vincuntur, & aſportan-

tur. Quapropter in Scriptura ſacra fundamentum habere ſuum artes eiuſmodi neceſſum eſt, ac in doctrina Chriſti, quæ fixiſſimum eſt fundamentum, & lapis angularis, ſuper quem tria principalia puncta Philoſophiæ huius ponenda ſunt. Primum eſt oratio, cui conuenit Scripturæ ſacræ verbum hoc: Petite, quærite, pulſate, &c. per quæ nos Deũ quærimus, & promiſsionum eius certi reddimur. Cùm id puro corde fecerimus, dabitur nobis, & inueniemus qđ quærimus: item aperietur & manifeſtabitur omne, quod aliàs occultum fuit, & eſt. Secundum eſt in ea fide ſitum, quæ montes in mare tranſplãtare poteſt: huic enim poſſibilia ſunt, prout Chriſtus loquitur. Tertium punctum eſt in imaginatione fundatum, quæ poſtquam in cordibus noſtris accenſa eſt, cum fide prædicta facilè concordare poteſt. Reiiciendæ ſunt igitur omnes cecemoniæ, coniurationes, conſecrationes, & vana ſimilia fundamenta, lapiſque verus angularis toto corde nobis venit amplectendus, hoc eſt, omne, quod ex Scriptura ſacra, luce naturæ, fontéque veritatis oritur, ac profluit. Scribemus itaque ſimpliciſſimis verbis ac breuiſsimis occultiſsima, quę non intellexerunt Cornelius Agrippa, neque Petrus de Abano, Tritemiúſque minùs, aut ſcripſerunt. Nec eſt, quòd ob hanc

meam

meam Philoſophiam & ſcriptionem quiſpiam ſcandalum concipiat, imò potiùs verba quæuis ponderet priùs, tum demum videbitur, ex quo loquor, & vtrum ex Diabolo, vel ex luce naturæ hæc habeam, ſciam & expertus ſim.

De conſecrationibus. Cap. I.

CVM Deus Opt. Max. ab initio creationis mundi, cuncta, quæ in eo ſunt, abundè ſatis benedixit, & ſanctificauit, latioribus locorum, inſtrumentorum, aliarúmue creaturarũ in terris exiſtentium, benedictionibus nõ eſt opus. Ipſe namque ſanctus eſt, quapropter omnia, quæ ordinauit, & fecit, per ipſum etiam cõſecrata ſunt. Non indigent ergò res aliquæ hominũ conſecrationibus ampliùs, at iſtis optimè carere poſſunt: præſertim in crucem poſitę viæ, cruces, circuli, gladij, veſtes, candelę, aut lumina, aquæ, olea, ignis, fumigia, caracteres, ſcripturæ, libri, pentacula, ſigilla Salomonis, coronæ, ſceptra, zonæ, annuli, &c. & id genus alia, quibus illi Ceremoniales vtũtur nigromantici cõtra ſpiritus phantaſticos, ac ſi non aliis cogi, vinciq; poſſent: cùm tamen in his fides principale fundamentum exiſtat. Quoties dicunt illi Ceremoniales: hoc eſt conſecratũ & benedictũ, vel miſſæ

plurimæ desuper celebratæ sunt, quamobrem contra Diabolum & malignos spiritus valet omnes, qui ab eo fugere coguntur metuentes, &c. non audent ad id accedere. O vos archifatui prorsum & ignari homines, ac pretij nullius, qui nomine hoc digni, hominis videlicet non estis, quòd eiusmodi palpabilibus mendaciis fidem adhibeatis, cũ indies tamen ob oculos posita sint exempla, nempe fulmen toties in templa corruere, vt etiam altaria diruat, auferátque: quod potissimùm in tempestatibus, incantatione factis, accidit. Item cùm Diabolus & spiritus maligni locis prędictis sæpe regnare videantur, & audiantur magis, q̃ꝑ dici queat. Est igitur Nigromãtia cum suis ceremoniis omnibus Histrionũ absoluta nequitia, Circulatorúmque theriaca, Mercatorum nefandum opus, quo spectatoribus & astantibus aperiatur os, occæcentur oculi, nec non é loculis alliciatur pecunia, res profectò, quę vix obolo venit existimanda, nec flocco. Quapropter ceremoniæ huc adduci minimè debẽt, nec in vsum assumi, prout Iudęus Salomon suo libro scripsit, quem nigromantici Clauiculam Salomonis appellant. Deus enim id nõ vult, at eius rei loco dedit aliud, nempe fidem, quæ cuncta perfectissimè consecrat. Non tamen consecrationes omnes reiectas volo, solùm eas ceremoniales

les, quæ contra phantasticos spiritus assumtæ sunt. Verùm magicis illis, quæ ad medicinam veniunt in vsum, nihil derogatum esse per me cupio, præsertim consecrationibus in matrimoniis, & baptismi, cœnæque sacramentis, quæ quidem à nobis in summa veneratione sunt habendæ, nec non obseruandę semper in vltimum diem vsque: tunc temporis enim perfectè consecrabimur & sanctificabimur omnes, & cœlesti corpore clarificabimur.

De coniurationibus. Cap. II.

PRiúsquam de cõiurationibus agamus, vnde prodeant, & quod sit fundamentum earum, declarare necessarium est item, quis inuentarit, vsus est eis, quid per ipsas adimpletum fuerit, & quî magis ac magis in abusum venerint. Scitote igitur in Babylonia duxisse primam originem, & indies maius incrementum sumsisse, & postmodum in Ægiptum transiuisse, tandem ad Israelitas peruenisse, postremò verò ad nos Christianos. Apud Nigromanticos valdè familiaris, & in magno pretio habita est, vt rudi suo nimiùm intellectu vires & potentias omnes illis attribuerint, ac magis quàm orationibus & fidei. Fundamentum hoc est ex opinione sola depromtum con-

demnandum, & penes quod manere nemo debet, verùm à Magiſtratibus puniendi meritò veniunt omnes, qui perſiſtunt in eo. Quamuis per ſe coniurationes aliquid poſſint, à nullo Mago vel Sapiente nihilominus vſurpandæ, quod prorſum Deo, verbis eius, mandatiſque, nec non luci naturæ contrariæ ſunt. Per eas enim à ſpiritibus veri nihil extorqueri poteſt, etſi quandoque pompa maxima cogantur apparere, faſtûque terribili, non tamen hoc ipſo deuicti ſunt, cùm id ſola fide fieri valeat.

Eiuſmodi Nigromanticos dico, qui cuncta per coniurationes agere cupiunt, ſpiritus cogere, tormentaréque, vt faciant quod illi volunt, furibus perſimiles fore, aut latronibus in ſyluis, qui tam diu iugulant, quouſque Deus permiſerit, non diutiùs: at vbi tẽpus adfuerit, & hora, quibus eorum flagitium atque ſcelus manifeſtari debet, peregrinum hunc ſatis cautelosè non arripit vnus, quo fit, vt ab iſto latro mortem accipiat, vel accuſetur alius, & ita veniat in poteſtatem carnificis, qui mercedem ei tribuit operum: non ſecus de fure iudicandum, qui tam diu domos perfodit, furatúrque, donec in laqueos incidat patibuli. Similiter Nigromanticus tam diu cõuocat ſpiritus, coniurat, pœnis & martyriis afficit eos, donec à Domino Deo permiſſum fuerit, non ſine

ſui maledictione. Cùm iam tempus eius adfuerit, horàque punitionis, quæ ſuos fructus adfert (vt ex prouerbio) ſuis in coniurationibus errat, circulum vt oportuit, non deliníans ex voluntate ſpirituum, quod ſæpe dicunt eis, videlicet Erraſti coniurando, circulum non rectè depinxiſti, non ſatis ipſum te caſtigaſti, vel ſigilla, pendaculáque tua ſunt falſa, quare punitionem hanc habe: ſic promta pecunia perſoluuntur debita ſibi longo tempore ſeruata, quæ dudum recipere debuerat: ſic meritò ſuam à ſpiritibus mercedem accipit qui ſigno permanenti notantillum, perfringũt ei membrum, aut omninò collum: hac via ſibimet carnifex effectus eſt.

Videant igitur Ceremoniales Nigromantici; quid faciant, & capitulum hoc in ſpeculum ſibi proponant, ſuis ne friuolis & nefariis operationibus ſpirituum ſerui facti, ſinant iſtos eorum dominari prorſum, & ſibi fore carnifices. Quo tranſacto cogi ſe non permittunt à ſeruis, nec faciunt quod iſti volunt, ſed oportet iam ſeruos dominis factis obedire ſpiritibus. Pariter non facit carnifex, quod flagitioſus cupit, aut gratiam aliquam demonſtrat oranti, condemnatóque, ſed exequitur Magiſtratus ſui mandatum, aut quod officium eius continet.

Maligni ſpiritus etiam carnifices DEI

existunt, qui nihil exequuntur, præter com missionē sui Magistratus, id est, diuinæ Maiestatis. Dico igitur, coniurationes fore contra Deum, verbum eius, legem diuinam & naturæ lucem, quæ nedum ad spiritus, verùm radices, herbas, lapides, & similia directæ, prohiberi debent, & potissimùm in homines, quæ fiunt. Non decet nos Gentilium instar agere, qui postquam hominibus vti pro suo non potuerunt arbitrio, vel cogere nequiuerunt eos, coniurarunt (vt reperitur in scripturis per exempla multa) sic, vt contra suam volūtatem atque naturam exequi coacti fuerint. Væ tamen eiusmodi nebulonibus ac omnibus, quotquot istos imitati sunt: quàm graue sibi facinus hoc futurum est in extremis, quàmque horribiles accusationes à Diabolo de se factas audient coram ira Dei? Si postmodum eis liceret hominibus eiusmodi significare miserias eorum, qui talia faciūnt, multa millia pœnitentiam agerent.

De caracteribus. Cap. III.

Non omnibus fidendum est etiam characteribus, neque verbis. Nigromantici namque Poetæ sic in istis exercuerūt se, libros quoque nigromāticos impleuerunt illis, quæ temerè, sinéque fundamento, sed

to, ſed ex ſe tantùm excogitarunt, & præter omnem veritatem finxerunt, vt ſimilium multa millia vix nucis corticis valorem æquent, vt interim de papyri, pergamenique iactura taceam, quæ maculata ſunt eiuſmodi nugamentis inutiliter. Mos fuit iſtius farinæ hominum, qui penes aliquos adhuc non periit, vt imponant hominibus, & eos in admirationem ſui trahant, ita loquuntur: ſunt mihi mirabiles characteres aut verba, quę tu nunquam vidiſti: non tamen dicunt, per ipſos excogitata fuiſſe. Quare ſummè neceſſaria eſt in his characterum & verborum ſingulorum diſcretionis optima cognitio.

Multa ſimiliter verba reperiuntur, quæ cum Latinis, Græcis, aut Hebræis idiomatibus nullam affinitatem habent, nec etiam cum alio quouis, interpretarique minimè poſſunt à quopiam, aut Germanicè reddi. Non ſine cauſa dico igitur, omnibus characteribus credendum non eſſe, neque verbis: at penes ea manendũ ſolúm, quæ vera ſunt, & ex veritatis fundamento ſumta, ſæpiúsque probata.

Vt ad iſta veniamus, quæ iuſta ſunt ac vera, declaremúſque: duo tantùm hac vice detegemus. Quamuis alia multa reperiantur, hæc tamen præcipuè ſunt habenda præ cæteris characteribus pentaculis, atque ſigil-

lis: delineationem earum notate.

Duæ triangulatæ figuræ, ſeſe per crucem interſecantes, pinguntur, aut ſculpuntur ſic, vt ſpacia ſeptem includant & repartiantur, ſex angulos etiam exteriores efficiant, in quibus literæ ſex admirandi, magnique nominis Dei, videlicet Adonay, iuxta verum ordinem ſcribuntur: hic eſt vnus eorum, quæ diximus.

Alter verò, qui priorem excellit viribus, eſt: hami tres, ſeſe reſpicientes per crucem, deliniantur ſic, vt per mutuam interſectionem ſpacia ſex includant, extrinſecos autem angulos quinque, in quibus quinque ſyllabæ ſupremi nominis Dei ſcribuntur, nempe Tetragrammaton, etiam iuxta verum ordinem.

Eiuſmodi figuras appoſuiſſem, at quod in aliis locis & libris fortè reperietis, omittere volui

Per hos duos characteres, nonnulli Iſraelitarum & nigromanticorum Iudæorum plurima conſecuti ſunt: & penes aliquos adhuc habētur in maximo pretio, tanquam arcana. Tantas enim vires & potentias habent, vt quidquid per characteres & verba fieri poteſt, iſtis aut eorum vnico ſit poſsibile. Libenter ſcirem, vbi locorum inueniatur in omnibus Nigromanticorum libris alius, in quo ſimile contra ſpiritus malignos

gnos, Diabolos & incantationes Magicorum, arreptiones, per Sagarum aſcendentia factas. Eum etiam liberant, qui iam incantatus eſt, in animo vel intellectu, ſic, vt aliquid præter voluntatem aut naturam ſuam cogeretur exequi: vel in corpore ſi damnum pateretur, per adminiſtrationem iuſto ſuo tempore factam & hora, cum laganis ore ſumtis, aut ſimilibus horis viginti quatuor ſecurus erit ab incantatione. Sunt & alia, quæ iuuant in ſimilibus, vt illa, poſtmodum, vbi de tempeſtatibus loquar, à me ponenda.

Summatim characteres iſti ſunt eiuſmodi virium, vt ſi Nigromantici potentias & virtutes eorum cognoſcerent, & crederent, cūcta prorſum alia, prout characteres alios, verba, nomina, ſigna, figuras, pentacula, conſecrata ſigilla Salomonis, coronas, ſceptra, annulos, zonas, & ſimiles quaſcunque ceremonias abiicerent, in quibus hactenus ſpem ſuam repoſuerunt, per iſta ſe tutos fore putantes periculoſis in experimentis & operationibus: nempe cùm ſpiritus conuocarent, coniurarent, vel cogere vellent. Verùm illa, quæ diximus, vera ſunt pentacula contra ſpiritus immundos omnes habenda, quæ timent quotquot eorum ſunt, & illi, qui degunt in elementis: hæc tamen omnia fides corroborat & confirmat.

Poſſet aliquis obiicere carpens, at imme-

ritò, me tertium effringere Dei præceptum primę tabulę Moysis, quo vetitum est à Domino Deo, ne quis nomen eius in vanum assumat. Quis tamen inter sapientes homines verè dicere poterit, hoc ipsum fecisse me, vel Deum offendisse ? cúm his ad eum non vtar modum, quo Nigromantici vel incantatores: at solùm ad summam necessitatem hominũ & auxilium, & in illis morbis, in quibus medicamenta nulla, nullum aurũ potabile, nec essentia quinta auri, nec antimonij, neq; tale iuuare potest arcanum, etsi magnarum ista virium existant. Medicum decet omnes cognoscere morborum origines, quas, vt ex prauo cibo vel potu cognouerit, prout ex pomis, herbis, aliísque terræ fructibus, prouenisse constiterit, arcanis iterum herbarum & radicum, &c: subueniendum erit. Item si causa mineralium acciderint, aut metallorum istorum, etiam arcanis pellendi sunt: quod herbarum arcana, radicúmue non admittant. Similiter si per influentias ex cœlo morbi sint, neutra dictorum arcana prodesse poterunt, sed per Astronomiam, influentiàmque pelli debẽt, vti de Persicaria scriptum est. Postremò si cuipiam supernaturali modo per incantationes, aut magicas arreptiones morbus vel dolor acciderit, illatúsue fuerit, nullũ trium quæ dicta sunt, iuuerit, sed magicum remedium

dium esse decet, quo pellatur, vt etiam intro ductus est.

Huiuscemodi miseri per incantationes facti homines, ab ignaris destituti Medicis fuerunt hactenus, quòd hæc eos latuerunt: quæ si fortè dicta sunt eis ab aliis, responderunt, contra Deum fore ac nomen eius in vanum assumi: hoc minimè verum est me fecisse. Quòd si his in hominis perditionem aut præiudicium vterer, blasphemarem in Deum: aut si spiritum aliquem, hominem, herbam, radicem, lapidem, &c: per nomen eius coniurarem, dici meritò posset, me nomen eius in vanum assumere, nec nõ Deum offendere, non prius tamen.

Dicant ad hæc etiam quicquid volent ipsi Theologi, Sophistæque, res ex veritate non aliter comperietur, quàm dico, etsi vehementer in his mihi contrarij sint: me vocent Incantatorem nigromanticum, & præcepti Dei contemptorem, quas calumnias minimè curo. Nam certò constabit, postmodum eos nõ secus excipere me, quàm Iudæi & Pharisei Christũ carpserũt, quòd ægrum in sabatho sanasset. Dicebãt etiam isti, Christum fregisse Dei sabathum atque mandatum. Itidem cum Dauide egerunt, quum fame pressus, & exercitus eius, panes propositionis vnà cum suis ederet. Verùm contra calumniatores; quî aut quid fiet, quòd pla-

ceat omnibus? Loquantur ignari tam diu, donec vaccæ doceant eos aut lapides, quod longum tempus expectandum est, quo tacebunt etiam.

De spiritualibus visionibus, in somniis apparentibus. Cap. IIII.

DVplex est in somniis visio, scilicet naturalis & supernaturalis, Variæ naturalium tamen visionum apparentiæ dormiendum inter aut somniandum existunt, quarũ hoc loco mentio minimè necessaria est, quòd istæ sæpissimè, vel ex mœstitia, vel animi perturbatione, sanguinis immunditia, cogitationibus, id est, mentis operationibus, & occupationibus circa negotia, quæ tractant homines, accidant, vt aleatores de tesseris & cartis, lucro maxime vel amissione: milites de negotiis bellicis, bombardis, puluere, loricis, & armorum bellicorum quouis genere, de victoria, vel succubitu: Bacchi filij, maximique potatores de bono vino, poculis magnis, quæ sibi videntur euacuare: sic de cæteris impletionibus ventris: prædones de spoliationibus & prædis, & qui munus hoc obeunt: latrones de homicidiis: fures de furtis: fornicatores de meretricibus. Hæc omnia producit spiritus noctis eorum, qui cum ipsis noctu ludit, eósque

que delectat ac tentat. Simile quid in sangui ne (aliàs) mente, ſic per accenſionem exaltatur, talémque generat ignem, qui non facilè poteſt extingui, quod plerunque videtur in venereo famulatu.

Artiſtis etiam omnibus in ſomniis artes & ſcientiæ mirabiles patefactę ſunt, qui ſemper fuerunt in ardenti quodam ad eas artes affectu. Iſtorum imaginatio miranda plurimùm aſſecuta eſt, & vniuſcuiuſque Philoſophi Eueſtrum ad ſe traxit inter dormiđum quod eos tum ſuas docuit artes: hoc ipſum adhuc ſæpiùs accidit, ſed maxima pars in obliuionem abit. Nonnulli manè ſurgengentes aiunt: hac nocte mirabile ſomnium apparuit, vtpote, Mercurius, aut hic vel ille philoſophus corporaliter mihi viſus eſt in ſomnio, qui me hãc aut illam docuit artem, ſed memoriæ poſtmodum excidit, vt non recorder amplius. Cui ſimile quid acciderit, expergefactus exire cubiculum non debet, cum nemine loqui, ſed manere ſolus atque ieiunus, donec reminiſcatur eius, quod oblitus fuerat. Hæc de naturalibus ſomniis & nocturnis viſionibus inter dormiendum apparentibus dicta ſunt, quæ contingunt indies. Verùm in eiuſmodi viſionum concluſionem vnum adhuc declarandum eſt, videlicet omnium eiuſmodi ſomniorum, quæ ſpiritus noſtros exhilarant, aut ag-

grauant, vel mœstos efficiunt, communiter quod contrarium est, accidere: quare non semper istiusmodi visionibus fidendū erit.

Alia verò, quæ suprà naturam accidunt, somnia, certissimi sunt legati, nunciíque veri ad nos à Deo missi, qui nihil aliud existunt, quàm angeli, spiritúsque boni, qui nobis in maximis necessitatibus nostris nonnunquam apparent, ad eundem modum, quo tribus Magis accidit, quum recens natum infantem quæsiuerunt, longo plurimùm itinere per quemlibet eorū suscepto. Postquam inuenissent eum, & ad Herodem redire vellent, vt nunciarent ei de puero quid inuenerant, apparuit eis angelus Domini in somnio, dicens, ne redirēt ad illum, sed per aliam viam iter suum facerent: Deus enim falsum cor nouerat Herodis, ex quo locutus fuerat, quare noluit eius voluntatem fieri. Simile somnium contigit Ioseph, & Iacob, quum in Ægiptum profici vellet: item Ananiæ, Cornelio, & aliis plurimis, quorum somnia supernaturalia fuerunt. Nostris etiam temporibus talia solent adhuc hominibus accidere, verùm nihili fiūt, cùm tamen fallere nequeant.

Sciendum vtique nos eiusmodi visiones in summis necessitatibus nostris à Domino Deo precibus exorare posse, modò sincero corde nostræ fiant orationes, & indubia, veráque

ráq; fide: tum demum iſtiuſmodi nuncium ad nos mittit, qui ſpiritualiter nobis apparet, admonet, docet, atque promittit.

In iſtis viſionibus expertiſsimus Bileam extitit: nam ſingulis noctibus, quoties voluit, eiuſmodi viſionem obtinere potuit, etſi nomen ei ſcriptura ſatis obſcurum dederit, ſcilicet Incantatoris: minimè refert cùm iſta nullam differentiam in his obſeruet, at omnes incantatores vocat eos, qui naturalium rerum & virium earum habuerunt experientiam: Maxima tamen in his diſcretio facienda eſt. Deus vult in ſimplicitate nos ambulare, prout Apoſtoli fecerunt, & non profundè nimium in altis, abſtruſiſque rebus huiuſmodi, quæ ſuprà naturam ſunt, ſcrutari, vt non incidamus in abuſus, quibus obeſſe proximo poſſumus, & in corporis ac animæ condemnationem deuenire. Non ſunt igitur omnes incantatores, quos ita ſcriptura vocat: nam inde ſequeretur aliàs tres illos Magos ex Oriente archincantatores extitiſſe, cùm in artibus, & præſertim in ſupernaturalibus præ cunctis aliis antea ſui temporis expertiſsimi fuerint. Quòd ergo ſcriptura non vocet illos incantatores, at Magos, quid inde colligendum aliud, quàm ipſos artibus & occulta ſua ſapientia nequaquam abuſos fuiſſe? Magia talis eſt, in quam ars & ſcientia, quæ ſuas vi

Magiæ virtus.

res & potẽtias per fidem exhibet, ac demon strat: verùm ex ea nasci possunt incantatio- nes, nempe cùm in abusum assumta fuerit: non priùs incantatio dici potest.

Vt latiùs de visionibus in somniis loqua mur, sciendum, aliquos inter dormiendum spiritualiter ad Deum ita sublimatos fuisse, vt eius gloriam & electorum gaudium viderint, pœnásq; damnatorum, quę postea nunquam obliuisci potuerunt, sed in corde semper & in animo gesserunt in suæ vitæ finem vsq;. Possibile est (inquam) hæc omnia spirituali modo videre posse nos, cùm Dei misericordiam vera fide, nec non orationibus imploramus, omnia Dei mysteria videre possumus, æquè benè, ac Esaias & Ioannes. Eiusmodi visiones sunt verissimę, quibus fides adhibenda magis, q̃ cunctis aliis in Nigromantia, per specula, cristalla, berillos, digitorum vngues, lapides, aquas, & similia, perceptis: quod istæ fallaces existant, ac falsæ. Et quamuis tales spiritus in illis apparentiis loquantur, & respondeant, centúmque iuramentis cum erectione digitorum asserant, non est semper eis credendũ, neque fidendum, ni fortè hoc fieret ex mandato peculiari Dei, non possunt aliter indicare veritatem. À visionibus, quæ dictæ sunt, originem ducunt vaticinia vera, quæ cùm Prophetis omnibus concordant. Vn-
de

de habuerunt Prophetæ suam sapientiam (alias) scientiam, & vnde sibi Dei mysteria patefacta sunt, quàm per istiusmodi spirituales & supernaturales visiones in somniis? Necessarium est igitur, primò verum istarũ inuestigare fundamentum, istúdque super verum ponere lapidem, qui Dei verbũ existit, & promissiones eius, oraréque Deum assiduè, quo fiet, vt nobis omnia seruare pręsto sit futurus, quę per verbum suum promisit.

Est & aliud, ad Euestra pertinens, quod adducamus eorum, qui mortui sunt, & nobis in somniis apparent spiritualiter, etiam si decesserint à quinquaginta vel centũ annis: hoc summè considerandum venit: multa siquidem ea de re tractanda forent, quæ propter nimiam prolixitatem, quam euitare conamur, relinquemus, suo loco reseruantes. Hoc tamen declarabimus, videlicet, vbi contigerit Euestrum apparere, summé necessarium est notare cum diligentia, quid nobis indicet, nobiscum loquatur, aut spiritualiter negotietur, ídque non semper, vt fabulas, existimare. Nam si possibile foret, hominem inter dormiendum eam retinere posse rationem, quam vigilans habet, vt eiusmodi Euestrum interrogaret, veritatem ab eo scire posset ad omnes suas petitiones de quibusuis; de hoc loqui latiùs minimè conuenit.

De personis & spiritibus sub terra degentibus. Cap. V.

SVb terra morantur semihomines, qui temporalia cuncta possident, quibus indigent, vel delectantur. Gnomi vel montium cultores vulgò dicuntur, proprio nomine tamen Sylphes aut Pygmei vocandi sunt. Spiritus, vt alij, non existunt, verùm istis comparandi, propter similes artes & industriam, quam cum illis communem habēt. Carnem & sanguinem, vt homines, possident, quæ spiritus verus nullus habere scitur, vt Christus loquitur suis discipulis, quum ad eos ianuis clausis intraret ipsis me tuentibus, inquiens: Palpate me, spiritus carnem & ossa non habet, vt ego. Hoc ipso nos docet spiritum verum tangibile corpus non habere, non ossa, non carnem, neque sanguinem, sed in essentia sua vento vel aeri similem existere: de his hactenus & non latiùs dictum fuit. Verùm ad semihomines terrenos vt redeamus, sciendum est, eos non fore spiritus, at istis similes reputandos: si tamen spiritus vocandi sint, aut velint ita vocari, terreni spiritus appellari poterūt, quòd sub terra suum chaos & habitationem habeant, non vt alij spiritus in aere, ventóque.

Chaos quid appellet.

Multi similes terreni spiritus potissimùm inueniuntur, videntur, ac audiuntur eis locis,

cis,in quibus magni theſauri,nec non ingentes opes ac diuitiæ latent,etiam vbi magna ſub montibus auri vel argenti copia fuerit, quibus quidem rebus delectantur , curam gerunt earum & cuſtodiam , nec libenter à ſe dimittũt. Metallorum foſſores optimam horum ſpirituum habẽt noticiam, cùm illos plurimùm impediant,vexent variis modis , infeſtationibus perſequantur, verberibus,& ictibus. Contrà nonnunquam beneficiis non exiguis proſequuntur, eos admonendo, vel mortem annunciando , vt quum audiuntur ſemel, bis, terúe pulſare, vel ſæpiùs eodem loco,mortem ſignificat foſſoris, qui laborat ibidem : ruina montis contegitur, aut alia quapiam occaſione moritur. Hęc eſt penes metallorum foſſores experientia certa, nec non à peritioribus maxima diligentia notata.

Argenti & auri foſſores vt admoneãtur.

Spiritus iſti peſſimi ſunt in illos,qui Diaboli non exiſtũt, & præſertim in illos,quos odio habent.Inter hos & Diabolum eſt magna differentia , quòd iſte nõ moriatur,aliis tamen intereuntibus poſt vitam longiſſimam : aliter ſpiritus etiam hac ratione dici poſſent,cùm ſpiritus perpetuò viuãt.Quòd verò carnem & ſanguinem habet, eſt obnoxium morti,ſemélque mori debet.

Aliud eſt,quod latius adferamus de communi prouerbio , quo fertur , Diabolum

opulentiſsimum fore, multáſque poſsidere pecunias, aurum & argentum, & omnes in terra theſauros occultos ſub ſua tenere poteſtate, nec non dare quibus vult ex eis, aut eis, qui ſibi quippiam pollicentur. Inde ſum ſit exordium, quòd communiter dicitur, huic vel illi Diabolus pecunias dare copioſiſsimas, nec non omne, quod habere cupit, aurum & argentum, ea de cauſa, quòd ſeſe præſcripſerit ei, vel addixerit eius fore velle ſe, creatoriſq; ſui obliuiſci. Dico hæc omnia fore mendacia, fictáſque fabulas abſque fundamento, quæ debent à quouis probo & ſapienti refelli. Nam Diabolus eſt omnium creaturarum pauperrima, ſic vt nulla ſit miſerior, pauperiórque ſupra ſubtúſque terram, & in aliis elementis. Pecunias etiam non habet, nec in eas aliquam poteſtatem: qui poteſt igitur huic aut illi dare, quod non poſsidet? Artes autem abundè ſatis habet, & poteſtatem eas dandi ac docendi cui fauet, aut illis, qui dolo poſſunt extorquere. Nummos non habet, nec aurum neque argentum dare poteſt: item obligationes ab hominibus non cupit obſignatas eorum ſanguine, vel alia pacta quæuis. Alij tamen ſpiritus exiſtunt, qui talia faciunt, vti Sylphes aut Pygmei, qui, licet natura paruę ſint perſonæ, poſſunt nihilominus apparere hominibus vt volunt magni aut parui,

pul-

pulchri, deformes, opulenti, vel pauperes: nullæ ſiquidem eis deficiunt artes quotquot fuerint, & quantùm in tota luce naturæ ſe extenderint, iſtàque poteſt in ſe continere: ſatis nummorum habent auri & argenti, nec non mineræ metallorum omnium in ſua po teſtate. Priſcis temporibus iſtorum multi reperti ſunt, auditique, iam verò quieſcunt. Nemo hactenus rationem ſcire, dareúe potuit eorum diſparitionis, cùm immortales creaturæ fuerint exiſtimatæ, quòd mortem eorum nemo certò ſciuit aut conſiderauit prius, at abſentiæ cauſam aliò contorſerunr. Nec potuit à longo tempore perfectè quiſquam cognoſcere quid nam ſint, aut vnde proueniant, quò vadant, quod munus vel officium habeant. Nonnulli putarunt vbi quid beneficij præſtiterunt hominibus, fuiſ ſe Angelos, vel bonos Spiritus & familiares ad homines à Deo miſſos, & poſtmodum ab eis propter maxima peccata receſſiſſe. Nã ſæpius hominibus plurima præſtiterũt officia, beneficiàq;, laboréſq; maximos pro ipſis ſuſtinuerunt, & abſtulerunt ab eis.

Alij crediderunt à nobis videri nolle, quòd quum eos homo videret, aut acclama ret, diſparerent & non redirent amplius.

Exiſtimarunt aliqui percipientes vel audientes ipſos, hominum animas eſſe, qui malè mortui fuiſſent, vti deſperatè

ſeſe ſubmerſiſſent, ſuſpendiſſent, aut aliàs oc cidiſſent, à Deo ſeruatore ſuo recedentes, Diabolo ſe dediſſent, ac ea de cauſa vagari debere, Diabolóque ſeruire in diem vſque iudicij.

Fuerunt, qui putarunt eſſe vana phantaſmata: multi fortunæ bonæ præſagium eſſe iudicarunt, eiſdem locis, in quibus percepti vel auditi ſunt, quòd etiam accidiſſet: verùm id pro maiori parte fides efficit: nam ex ſua natura fortunium non adferunt, ni fortè Deus eò cogat illos, aut noſtra fides: contrà nullum etiam infortunium adferre poſſunt, niſi Dei ſit permiſsio.

Plerique putarunt incantationes fore Sagarum.

Alij, qui perceperunt & audierunt illos circa theſauros, iudicarunt, eorum hominum ſpiritus fore, qui theſauros eiuſmodi ſuffoderant, ac deberent ibidem eſſe, manereque vſque ad extremum iudicium, vel do nec reperti fuiſſent ad cuſtodiam. Iudicium hoc fecerũt ex verbo Chriſti loquentis: vbi theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum eſt. Ego verò nõ video rationem, cur pro ſpiritu cor intellexerint, ſed multam inter iſta fore differentiam. Quapropter omnia, quæ prædicta ſunt iudicia de his, opiniones falſiſsimas eſſe dico, tum eos intellectu pollentes fore ſemihomines, in elementis quatuor de

gentes

gentes, qui primis naturæ temporibus pro Diis habiti fuerunt ac adorati. Hi sunt ipsi, de quibus omnipotens Deus admonet suo præcepto primæ tabulæ dicens: Ne habeamus Deos alienos penes ipsum, neque in aquis, (Nymphas intelligi vult) neque sub terra: Pygmeos aut Sylphes indicat) nã zelotypus Deus est, qui tale delictum punit patrum in filiis, in tertium & quartum vsque generationis gradum.

Mons Veneris in Italia fuit his obsessus: nam ipsa Venus fuit Nympha, cuius regnũ vt paradysus eius, mons ille fuit comparatione quadam. Hæc veró mortua est, quó factum, vt regnum eius cessarit. Vbi nam locorum auditur earum fieri mentionem vt anteà, tempore, quo Danhauserus & alij plures ad eas intrarunt? nec isti fabulas excogitarunt has. Talis naturæ, conditionísque fuerunt, vt omnes homines ipsas amantes vicissim redamarint, & odientes oderint. Quapropter eis, qui sese præscripserunt illis aut obligarunt, artium & opum satis tribuerũt. Cogitationes, animúmque nostrum norũt, quo fit, vt facilè per nos moueantur vt ad nos veniant Hæc à me dicta non sunt, quòd velim cuipiam dare consilium hoc, sed quo sciatur solùm ex vero fundamento, Diabolum & semihomines, inter quæ sit vera differentia. Diabolus corpus nullum habet,

nisi ex elementis quatuor aliquod sibi faciat, hoc tamen carnem non habebit neque sanguinem; perpetuus est, infirmitatibus & morti finitæ non subiectus, quare non moritur, quod Pygmei tamen faciunt, nihilominus morti naturali, perpetuæque subiecti sunt ambo, vita quoque perpetua priuati. Quamobrem omni, qui sese dedit illis aut præscripsit, non secus ac ipsis euenit. Prospiciat igitur quisque sibimetipsi quid agat, priusquam se præscribat: nam statim atque fecerit, semper eis obedire cogetur ad omnia mandata. Si fortè fuerit inobediens, aut eos ad iram commouerit, vitam aut imminuunt vel hinc penitus auferunt. Eiusmodi visa fuerunt exempla multa, videlicet homines quandoque reperti mortui, torto collo aut læso, vel aliàs miserrimè tractati. Vbi simile quid accidit, hactenus dictum fuit, hoc fecisse Diabolum, ea de causa, quòd homo promissa non seruasset, aut aliquo tempore se præscripsisset, quo iam expirato postremum stipendium dedisset. Verùm ex fundamento veritatis iudicia hæc minimè procedunt, quòd officium Diaboli simile non contineat: sed magis hominibus cogitationes prauas suggerit, quibus à Dei præcepto retrahit & voluntate, qua via maximos peccatores efficit, qui sui creatoris Dei prorsum obliuiscuntur, & negant, postmodum in

in desperationem adducit, vt amplius orare non possint. Quamuis elementares illi spiritus Diabolo sint affines, & sæpe DEI tortores & carnifices existant, nihilominus admonent sæpe nos etiam, & vigilantes à periculis maximis tuentur, nonnunquam è carceribus aliquos liberant, aliâque similia dant auxilia.

Quapropter homines, grauissimis ac mœstissimis cogitationibus onusti, & imaginationibus obruti, soli non sunt relinquendi, sed iucundissimè cum ipsis agendum & loquendum varia, quæ delectare possunt animos eorum, & eiusmodi pellere tristitiam. Diaboli siquidem, non magis quàm spiritus isti terreni sunt otiosi, verùm ad similes homines facilè confluunt. Hinc fit, vt nonnulli, præsertim puerperæ noctu fuerint suppressæ dormiendum inter, vt putarint se suffocatas iri, nec potuerint clamare, vel quemquam in auxilium aduocare, manè dixerint se noctu compressas à vetulo vel vetula. Hactenus existimatum est Sagas & incantatores id facere, cùm isti corporaliter ianuis clausis & fenestris in cubicula nequeant intrare, quod Sylphes & Nymphæ per quàm optimè possunt.

O tu modicæ fidei, tamquam Petrus dubiosus homo, qui singulo te sinis agitari vēto, facilèq; mergeris. Ipse tu causa huius es

per dubiosam, modicam, atque debilem, quam habes fidem: tuæ pariter malæ cogitationes eò te perducunt. Habes etiam occultum in te Magnetem, quo simile quid attrahis: hic est cœlestis ille Magnes super omnes alios, qui ferrum & calybem attrahit, supra quintam essentiam & constellatos Magnetes, & qui deiectum & occultum ferrum patefacit. Cœlestis enim Magnes tantæ potestatis est, vt à centenis miliarium millibus, imò à quocunque loco vult, ex quatuor elementis ad se trahat, quum in suam exaltationem transit. Hac de re latiùs infra duobus excellentissimis vos instruam exemplis.

De imaginatione, tum quînam in suam exaltationem veniat. Cap. VI.

QVidnam imaginatio possit ac operetur, & quî suam in exaltationẽ veniat, per exemplum videtur ab experientia tempore pestis, in qua venenum est imaginatio suprà quemuis aërem infectum contra quod antidotum nulla mitridatica, theriaca nulla, nec simile præseruatiuum auxilij quidpiam adhibere potest, nisi talis imaginatio transeat, vel cogatur in obliuionem, aliàs iuuerit nihil. Tam velox & celer imaginatio nũcius est & cursor, vt nõ solùm ex

Imaginatio celer nuntius.

ex vna domo in aliã, ex vna platea in aliam, ſed etiam ex vna ciuitate regionéque, in aliam citiſsimè tranſeat, ſic vt ex vnius perſonæ ſolius imaginatione, peſtis in aliquam ciuitatem, vel integram regionem aduenire queat, & multa millia hominum inficere, prout hoc exemplo poteſt intelligi. Ponamus duos fratres ſibi mutuò chariſsimos fore, quorum vnus in Gallia degeret, alter in Italia moraretur, qui peſte ſublatus foret è medio: fratri nunciatum eſſet in Gallia degenti, fratrem in Italia peſte mortuum eſſe, quo terrefactus pruriret ei cutis, ac in imaginationem incideret, ſic vt obliuiſci nequiret: incenditur in ſeipſo, tam diu quoq; reuerberat hoc incendium, vt in examine videtur auri vel argenti ſuper cupellam fieri, quæ flores emittunt, idque tam diu, donec reluceant, non priùs perfecta ſunt clara, & ab aliis impuris ſeparata metallis. Ad hunc modum etiam imaginatio reuerberat ſeipſam in ſupremũ gradum vſque, poſtquam adfuerit eius relucentia, iam adeſt in homine teſta, non ſecùs ac in matrice ſperma hominis, ex quo mox imprægnatio ſequitur mulieris. Sic ab vno peſtis recedit in alium, idque tam diu, donec in totam aliquam ciuitatem, aut regionem irruat. Bonum erit igitur longiùs abeſſe, non propter aerem, aut fœtorem, qui non inficit aerem (vt igna

Peſtis ex imaginatione grauiſsima.

ri loquuntur) ſed vt ea non videantur, nec audiantur, quæ peſtis operatur, & animum non infectent.

Peſtis ex imaginatione remedium.

Eiuſmodi homines, quibus tale nunciũ allatum eſt, vt ſuprà, ſoli nõ ſunt relinquendi, non, ſecum vt muſsitent, admittendum, vt imaginentur, animóque laborent. Conſolandi ſunt, & ab eorum animo pellenda eſt imaginatio variis iocis & gaudiis. Nec eſt, quòd me putetis hæc in fabulam adducere, quamuis leue ſatis negotium eſſe videatur: ſic enim, ac tam facili remedio ſuccurrẽdum venit imaginationibus oppreſsis. Imaginatio namque picis inſtar exiſtit, quæ libenter adhæret, ignémq; facilè concipit, at inflammata difficulter extinguitur. Quare ſimili homini ſubueniendum erit per imaginationis expulſionem reſiſtentia facta, & extinctionem. Hoc eſt vnum exemplum, quo poteſtates & operationes imaginationum declarantur, & earum exhalationum.

Imaginatio vt pix.

Imaginationis vis.

Vt nunc de altero loquamur exemplo, ſciendum peſtilentiæ temporibus nedum imaginationem operari, multóſque vita priuare, ſed etiam in bello. Quot interierunt in conflictionibus tormentorum iaculis, quorum cauſa mortis imaginatio ſola fuit, quã habuerunt ad mortem, id eſt, quòd ſummè timidi fuerint, ac ob quamcunque ſagittationem perterriti, ſic vt non aliàs putârunt, quàm

quàm se tactum iri, quoties in eos eiaculatum fuit. Similes valdè citiùs occiduntur audacibus, qui sine timore, sed animosè aggrediuntur inimicos, nullã eiaculationem timent, sed firmissimam fidem, & spem euadendi habent, præ cæteris militibus omnibus. Tales egregij, verique milites existunt, per quos arces, castra, ciuitates, regiones expugnari possunt, & populi debellãdi sunt. Alij verò, quotquot fuerint magni, vel parui, nobiles aut ignobiles, equites aurati, comites, vel alij, contra suos inimicos vix merentur obolum, quantò minùs aliquod stipendium. Quapropter vnumquemque decet, qui senex miles fieri cupit, aut per militiam eques auratus fieri, vel ad magnos honores peruenire, Iulium Cęsarem aut alium excellentissimũ caput militiæ firmiter imaginari, & in animo sibi figere, prout apud Romanos multi fuerunt. Quo facto, si hac imaginatione probè sciuerit vti, constantique fuerit animo, ac si facta viri huius omnia vellet adimplere, nec non æquè senex fieri, vt iste, ac ad similes honores peruenire: facilè votum consequitur.

Imaginatio fortitudinis facit militẽ verum.

Idipsum inopinatò multis contigit, eo quòd imaginationis suæ processum prosecuti fuerunt, ac ita summos honores atq; diuitias adepti sunt. Obiicere posset aliquis, fortuniũ, vires, & industriã iuuisse, nec non

Obiectio.

ſimiles promouiſſe viros: item quòd eorum nonnulli geſtârint herbas, radices, lapides, &c. propter quæ ſuperari non potuerint, nec vulnerari. Hæc omnia dico ſolùm conſortes extitiſſe res cum imaginatione, quæ generalis & ſuperior dominatrix fuit ſuper alia quæque. Quanquam admitto ſimilia multa fore, quę præſeruant in ſumma neceſsitate contra quoſuis inimicos, & eorum arma, ſic vt ea geſtans vulnerari nõ poſſit, quorum ego nullam hoc loco mentionem facio, ſed aliò reſeruo: nihilominus fides eſt rerum iſtarum omnium exaltatio, confirmatióque. Nam abſque fide, cuncta hæc & ſimilia vana ſunt, & viriũ expertia.

Refutatio p conceſsionẽ.

De theſauris & occultis ſub terra diuitijs. Cap. VII.

De theſauris in & ſub terra latentibus eſt, quòd etiam aliquid adferamus in medium, qua ratione cognoſcuntur & acquiruntur, tum quid penes eos quandoque mali, mirandíque ſolet accidere.

Primò de ſignis, quibus notificantur, agendum erit, vt certo conſtet, non ſolúm ex opinione. Notandum venit vbi locorum phantaſmata multa apparent, audiuntur, & quandoq; rumores fiunt immoderati, cúmque noctu prętereuntes terror arripit atque timor

Signa, quib. theſauros alicubi eſſe cõſtcitur.

timor, sic vt frigidum sudorẽ nonnunquam emittant, erigantúrque pili capitis, quòd plerunque fit sabatho noctu. Item si lampades per ea loca deferantur, lumen earum extinguitur, non secùs, ac si verus ventus subintrasset. In domibus etiam, quibus thesaurus latet, phantasmata vidẽtur plurima, hurumorésq; maximi. Cùm talia fiũt, videri se permittunt, ac audiri media nocte præsertim: eius rei causa communiter est in eo loco thesaurus occultus nec alia ratio præter hanc adducenda. Nonnulli talia non intelligentes multas opiniones de his rebus habuerunt. Aliqui putarũt eiusmodi phantasmata per Diabolum fieri, vel ab incantatoribus, vel aliquem in ea domo fore, qui negotium cum istis habeant, aut familiaritatem, vel qui sese Diabolo dederit, aut obligârit, vel ei quid promiserit, quo fit, vt audiri se, percipique faciat malignus ille calumniator, tempus vix dierum expirationis expectare potens, quos adimpletos fore cuperet. Alij crediderunt in ea domo quẽpiam secretò sepultum esse, iugulatúmque fuisse ibidem. Putârunt alij hominem in eo loco malè mortuum esse, cuius spiritus ita circuire cogatur: aliæque variæ fuerũt opiniones. Verùm hæc omnia falsa prorsum existunt iudicia, sed eorum, qui fiunt rumorum occasio thesaurus est ibidem occultus,

Sinistrè quædam hæc signa interpretantur.

Refutatio eorum, qui de his signis inepiè indicant.

aut quandoq; Diabolus extra quempiam obsessum pulsus, cui permissum est in eum locum secedere: verùm est in eiusmodi loco rumores q̃ ibi thesauri latent fore maiores.

Ratio thesaurorum duplex.

Thesauri reperibiles, & non reperibiles qui.

Thesaurorum est ratio duplex: aliqui reperibiles existunt, alij verò nõ, cum hac differentia. Reperibiles illi sunt, qui continent aurum vel argentum, quæ nos ipsi facimus, & ab hominibus tractata fuerunt: nõ reperibiles illi, qui habent aurum & argentum à Sylphis venientia, fabricata, cusatáque: talia, quamuis aliquando veniant inter homines, mox atq; rursum in terrã sepulta sunt, non possunt ampliùs iterum facilé haberi. Hæc scitu maximè digna sunt, tum prædicta signa diligentissimè notanda, quòd augurales virgæ nimis faciles sint, ac deceptoriæ, ad quemuis cadẽtem & amissum nummum inclinabiles. Aliæ visiones pariter in speculis, cristallis & similibus, quibus vtuntur nigromantici thesaurorum fossores, falsæ sunt, ac deceptoriæ: quapropter eis omnibus minimè fidendum.

De fossione thesaurorũ.

De fossione iam dicendum erit, quînam arripiẽda fœliciter & ex vero processu fossorio, prout sequitur. Primò, sub influentia Lunæ, vel Saturni, cúmque Luna transit in Taurum, Capricornum, & Virginem, incipiendum est quærere, fodeŕeque. Nec est quòd aliàs vtaris aliquibus ceremoniis, neque

que

que circulorum delineationibus, aut aliis, vt incantationibus quibuſcunque: ſolùm alacri fodendum eſt animo, prorſum à malis cogitationibus alieno, nec non ab imaginationibus de ſpirttibus amoto, vel aliàs mox apparent mirabilia phantaſmata, cùm nihil eorum corporeum ſit, at viſiones tantùm nõ metuendæ. Colloqui debent igitur foſſores, cantare ſimul, & alacres fore, non perterriti, ſed bono prorſus omnes animo. Nulla ratione ſilentium eſt eis imponendum, vt perfidi Nigromantici docent. Poſtquàm nunc ad theſaurum ventum eſt, vt fermè detectum ſit, ac multi rumores audiuntur, mirandáque videntur & horribilia, vt ſæpenumero fieri ſolet, indicium eſt adeſſe cuſtodes Pygmæos, aut Sylphes, qui theſaurum hũc hominibus inuident, & à ſe dimittere nolunt, maximè cùm eiuſmodi pecuniæ ſuæ fuerunt, aut eò per ipſos allatæ. Similes theſauri ſunt relinquendi, ſi cuſtodes iſtiuſmodi non conſentiant. Et quamuis acquirantur, ac in deprædationis modum ab iſtis cuſtodibus auferantur, artem norunt ipſi cuſtodes, qua theſauros ſuos hac via ſurreptos in vilem prorſus materiã tranſmutant, vt in terram, lutum, fimum, & ſimilia, (prout ego per exemplum aliquando vidi) quare poſtquam eiuſmodi tranſmutationes acciderint, non eſt propterea deſponden-

Hilares ſint foſſores, cantu tẽpus fallentes.

Qui theſauros tranſmutent.

dum animos, etsi non sit auro vel argento simile quid, & nemo putet in eo talia reperire. Ad sacram Scripturam confugiendum erit, quæ sic habet: Deus mundũ per ignem iudicabit. item in Psalterio sic: Aurum & argentum probãtur igne, puráque reperiuntur, atq; munda. Quamobrem in hac transmutatione iudicem oportet ignẽ esse, cuius rei processus alius non existit, quàm vt mox mittatur in ignem, & eodem agatur modo, quo cum mineris, aut metallis: hac via redire necessum est in id, quod priùs fuit.

Interdũ fossores decipiuntur, falsisq; rebus nõ mutatis luduntur.

Ad eiusmodi transmutationes notãdum est aliud, nempe sæpiùs ollas reperiri, & auferri, plenas ridiculis rebus & materiis, vti carbonibus, ouorum corticibus, lignorum fragmentis, & similibus, quæ multis annis anteà sepultæ fuerant. Qui repererunt, putârunt verum esse thesaurum aureum, vel argenteum, per malignos spiritus transmutatum, quod falsum est: nam thesaurus ex improuiso repertus nõ potest ab eiusmodi spiritibus transmutari, sed manet in seipso qđ est. Non est igitur quod existimetis hãc rem esse transmutationem, sed vexationem potius. Reperiuntur aliquando nonnulli vexatores hominum, qui talia sepeliunt, vt inuentores frustra gaudeant. Similia non sunt igitur existimanda, quòd nullius pretij sint, vt etiam leuitate ponderis cognosci potest.

Nota, quib⁹ lusiones huiusmodi cognoscuntur.

Si tamen graue pondus foret instar mineræ vel arenæ mineralis, posset aliquod eius experimentum igne fieri.

Ne quid omittamus, quod ad hanc rem faciat, addamus & hoc. Posset quispiam interrogare, quî nam fiat, vt ita facilè thesaurus non quæsitus inueniatur? Hac de causa fieri putandum. Spiritus thesaurorum custodes hominum animos & cogitationes optimè norunt: quòd ergò sciant istos non cogitare nec voluntatem habere quærendi vel effodendi thesaurum aliquem in eo loco, pariter ad custodiendum illi diligentiam nullam adhibent, cùm non suspicentur: hoc fit, vt eis hac via facilè surripiatur. Eis non secus accidit, quàm illis, qui repentè suis ab inimicis inopinatò prorsum arripitur, isti facilè superantur, vel ab eis quid prædæ surripitur. Duas ob causas tam auidè quæruntur ab hominibus thesauri potissimùm. Prior est eorum auaritia, qui sitiunt opes: altera verò vt loca postmodum secura, tuta, quieta & pacifica sint ab eiusmodi Spirituum infestationibus, & habitabilia. Reperiuntur enim adhuc antiquæ domus, & arces vetustissimę variis in regionibus, quæ non sunt habitabiles ob eiusmodi Spiritus: eius rei causa prę- sertim existit, quòd ibidem occulti sint magni thesauri. Locorum vbiuis id acciderit, summæ necessariæ fossiones existnnt, non

Obiectio.

Causæ, cur quærantur Thesauri, duplices sunt.

tam propter theſauros & pecunias, quàm vt eiuſmodi loca rurſum habitabilia reddantur. Quum diligentiſsimis foſsionibus hoc negotium aggreſſus quis fuerit, horũ vnum oportet accidere, vel theſaurus inuenietur, aut profundius ſubmergetur, vel à ſuis cuſtodibus deferretur aliò, prout ſæpius viſiones in criſtallis puris indicarunt, vt iſti foſſoribus dixerint: iam video multos Pygmeos theſaurum penitus auferre: his adhiberi fides poterit, foſsionibus relictis. Sciendum etiam, quantò maiores in eiuſmodi locis rumores fuerint, & plura phantaſmata ſeſe patefecerint: tantò maior eſt iudicādus ille theſaurus, & ad ſuperficiem terræ magis propinquus.

Theſauri ſuffoßi ſigna.

De obſeßis à malignis Spiritibus & Dæmonio. Cap. VIII.

QVa via fiant hominum obſeſsiones à Dæmonibus, abundè ſatis per Petrum Apoſtolum nobis proponitur, & ſcribitur, Verùm vt admonitionis huius verbum intelligatur iuxta verum ſenſum, in diget expoſitione non exigua. Nam Apoſtolus totam rem ſummariè, duobùſque verbis comprehendit, vtpote ieiuniis & vigiliis. Hæc videntur valdè parua, necnon aſpectu primo leuia, cùm tamen ſint magni momenti, mul-

ti, multàque significent, benè si considerentur & cum attentione. Cùm igitur Petrus Apostolus tã egregiè nos admoneat inquiens: Sobrij estote & vigilate: nam inimicus vester Diabolus, vt leo rugiens, circuit, quærẽs quem deuoret. Fide postmodum concludit, nos Diabolo resistere posse. Prius itaque verbum de sobrietate sic intelligere nos Petrus vult, ac si loqueretur: cauete ab omni genere ventris impletionis & ebrietatis.

Loci P. Apostoli expositionis prior pars.

Ebrietas enim est fons & origo malorum omnium, & vitiorum, quæ fiunt ac adimplentur ex persuasione Diaboli per ebrios. Quamobrem seruate medium in cibo & potu, ne turbetur cor vestrum & aggrauetur: semper enim adest Diabolus, quamquam inuisibilis: Spiritus est, artémque nouit, qua locorum vbiuis esse potest, per integrum terræ circuitum, cùm omnium auctor & expletor sit malorum, quæ fiunt ab hominibus in vniuersa terra: in hominem intentus est, non secus ac felis in murem. Quare mox, atque vos ipsos vino repletis, in vos iuducit, omnéque vitium in vobis adimplet: circumducit vos laqueo, prout flagitiosos & facinorosos carnifex, donec eos occiderit.

Sic & ille cum ebriis agit, donec obsideat corporaliter, arripiat, vel in desperationem cogat.

Prospicite vobis igitur ô vos Epicurei, Bacchi, necnon milites, qui vino repleti semper estis noctes atque dies, nec reprehensionem admittitis, imò potius hoc inepto verbo vos excusatis, nempe miles & Sus alteri vtrúmque repletione simile brutũ esse debet, cùm horam suæ mortis ignorent ambo, vel quum mactari debeant. Hæc est expositio prioris verbi Diui Petri de sobrietate. De vigiliis iam est quòd intelligatis.

Expositionis dicti P. Apostoli pars altera.

Per eas sibi velle videtur Petrus, ac si loqueretur: Ambulate in æquitate & iustitia, bono estote animo, nõ pusillanimes, malas abiicite cogitationes, vel phantasias de Diabolo, cuius imaginatio penes vos locum nõ habeat. Nam hac via multi fuerunt obsessi à Dæmonio, cuius obsessionis causa fuerunt eorum propriæ cogitationes & prauæ, nec non imaginationes similes. Relinquite igitur ista, quorum loco Deum orate ac habete præ oculis, ac in imaginationem assumite, quò similes ei reddamini & eius filij, tum demum vobis mittet Spiritum suum sanctum, quo vos obsidebit, reget, ac mirabilia suæ misericordiæ per vos demonstrabit opera, sicuti per Paulum & omnes alios Apostolos fecit, qui omnes ad hunc modum suo Spiritu sancto fuerunt obsessi: hos igitur sequamini, Diabolum & omnes cogitationes ac imaginationes prauas excludẽtes & abiicientes,

cientes, quibus nos ipsos etiam seducere possumus, & in nos æquè Diabolum attrahere, necnon corporaliter per eum obsideri, ac in desperationem venire, vt nobisipsis vitam adimamus, prout Iudas, Achitophel, & alij plures. Hæc de vigiliis dicta sint, ad interpretationem eorum, quæ Petrus de his intelligi vult. Nō enim per vigilias intelligit, abstinentiam à lecto, somnoúe, prout Cartusiani & alia monasteria docent ac seruant. Somnum & soporem enim creauit Deus, & primò in Adamum intrare siuit. Quare dormiendum est nobis tempore suo, quantùm natura cuiusuis exigit, &c,

Postrema dicti P. Apost. explicatio.

Postremò notate quî Petrus verbum hoc suum ex DEO confirmat & concludit, inquiens. Resistendum est nobis contra Satanam per fidem: ac si loqueretur. Nolite in verbo Dei hæsitare quoquo modo, vel dubitare de sua misericordia, non aggrauetis conscientiam vestram, neque vestrum cor perturbetis: nolite persuadere vobisipsis, Deum vos habere nolle, vel eum oblitum esse vestri, aut vos indignos eius misericordia fore, sic vt ad eum venire non debeatis, quia contra diuinam eius voluntatem egistis, aut mandatum eius effregistis, & peccata multa fecistis: At potiùs eius verbum firmiter credite, non velle Christum peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat; item

quod propter peccata nostra venerit in mundum, vt ea super se tolleret à nobis, quod etiam fecit. Similia consolatoria verba multa reperiuntur in sacra Scriptura, quæ debilibus eiusmodi personis in fide proponenda veniunt ad eorum consolationem. Ad hunc modum resistitur malæ conscientiæ, Dæmonióque, sic vt eiusmodi homo liber euadat, & non tentetur ampliùs.

De liberatione obsessorum à malignis Spiritibus, & abusu maximo, qui hactenus à multis in simili negotio committitur.

Cap. IX.

VT iam de malignorum Spirituum expulsione loquamur, sciendum est, hactenus paucos à temporibus Christi & discipulorum eius ex æquo pulsos fuisse. Nam alio, quàm ceremoniis, & coniurationibus vti nesciuerũt, quibus conati sunt malignos Spiritus atque Diabolum expellere, cùm hoc sit falsum omninò fundamentum, nulla ratione tenendum, nec imitandum. Quandoquidem etsi nonnulli hac via liberati sint, & ab eis Diabolus expulsus fuerit, nihilominùs absque damno factum non fuit, nec fieri potest. Simile quid est, ac vbi Princeps aliquis regionem aut ciuita-

tem gladio vellet expugnare, hoc ipſum abſq; locorum eiuſmodi perceptibili damno fieri minimè poteſt. In memoria commune prouerbium hoc reaſſumendum venit, quo dicitur. Quod bonis ab hominibus verbis extorqueri nequit, malis multò minùs fiet: etſi per vim cogantur, inde maius malum eſt metuendum, vt exemplis viſum eſt ſæpiùs eueniſſe.

Talis igitur opinioſa poteſtas relinquenda, quæ ceremoniis & coniurationibus vtitur. Sed malos Spiritus expellere vos decet, vt Chriſtus, & eius Apoſtoli fecerũt, & non alio modo: ſin minùs feceritis, aut ſecus, ingentes labores contra Diabolum aſſumſeritis, Ægrè ſiquidem extra homines Dæmonium exire fert, omnésque nequitias & occaſiones quærit, quibus manere poſsit, & illos in ſua poteſtate retinere. Cúmque videt ſe diutiùs manere non poſſe, at exire debere, poteſtatem & licẽtiam exigit in alium hominem intrandi, brutum, aut in aliquem locum: quod ſi permiſſum ei fuerit, maius damnum inde ſequetur.

Non eſt igitur aliquis ei locus permittendus, nec etiam aſsignandus, quàm infernus, vnde venit, & in quẽ Deus ordinauit eum, ac detruſit, vt nõ accidat, prout Chriſtus in exemplum (vt piè credendum) permiſit.

expulſos ab eo Diabolos in porcos intrare, qui mox Diabolis eiſdem obſeſsi, ſeipſos in mari ſubmerſerunt. Nullatenus igitur eis concedēdum in alios homines intrare: nam ſtatim poſtea ſibi vitam adimerent, vt iſti porci. Non permittendum etiam eos in aquas, lacus, & ſtagna ſe conferre poſſe: quod ſi fiat, multos in eis homines ſubmergent, & in fundum ſub illas trahent, quo longè magis delectantur, quàm antea Diaboli, ridéntque trans digitos, vt ſtultus de hero ſuo. Nec eis eſt relinquenda poteſtas ad petitiones ipſorum, in hanc vel illam domum tranſeundi vel arcem: nam perpetuò poſsidebūt, ibidémque ſic regnabunt, vt nemo poſsit ampliùs in eiuſmodi locis manere vel habitare, ſed inhabitabiles exiſtere ſemper oportebit, vt multæ cùm domus, tum arces in variis regionibus habentur, quæ hac de cauſa deſertæ ſunt: quarum ego multas adducere, nominaréque poſſem hoc loco, ſed ob prolixitatem relinquo. Petat ergò Satan quicquid velit, quî, aut quo, nihil aliud ei concedendum erit, quàm in infernum redire, quò Deus ordinauit ac truſit illū, vnde venerat etiam in hominem: exire debet vt intrauit, &c.

Item ſi Dæmonium per hominem ineptias multas ore protulerit, ei non multis reſpondendum, vel cum eo loquendum: Si tamen

tamen, cum eo loqui voluerit quis, dicat: Præcipio tibi Spiritus immunde per verbum, potestatem & vires, quibus ab ipsomet Christo, & postmodum à suis Apostolis eiectus fuisti, vt exeas ab hoc homine, &c. Aliter non est adiurandus, nec ista verba sunt pro coniuratione habenda, sed pro quadam responsione, per quam solam non eiicitur, sed primum hoc erit agendum, scilicet orandum & ieiunandum. Loquitur enim Christus, Genus hoc solùm reiiciēdum per orationem & ieiunium in fide. Quapropter apprimè necessarium est eiusmodi homines obsessos ad orandum inducere, cogeréque, licet hoc difficulter admodum fiat, quòd eorum linguam Diabolus regat, qui nō finit eos per seipsos orare. Quare coram illis preorandum est, & si nolint orare pòst, & cum orantibus, crudiùs cum illis agendum erit, alio medio, videlicet, vt manus atque pedes obsessorum strictissimè ligentur. Postmodum alter homo sexus masculei super eos iacere debet in transuersum, & iratum se contra illos demonstrare plurimùm, & seuerè cogere ad orationem, sed eis præorare debet, exhortariq;, vt post ipsum idem orent quod ipse. Hac via similes homines ad orandum induci possunt, quod alia ratione fieri nequit: qua in re cōtinuandum erit, & per assiduitatem exibit ab eis

Dæmonis coniuratio.

Diabolus,& relinquet illos. Hactenus dictum de Spirituum immundorum & malignorum eiectione, satisque demonstratum ac declaratũ, quod aliis locis breuibus verbis perstrinxeram.

De Tempestatibus. Cap. X.

VT etiam dicamus de tempestatum originibus, & quî pellendæ sunt: item qua ratione quis à fulmine, grandinéque se, nec non sua præseruare queat. Primò sciendum erit, omnes tempestates ex quatuor ventis capitalibus procedere, vt Orientali, Meridionali, Occidentali, & Septentrionali: tum ex vtriusque centro, videlicet aeris & firmamẽti nullam oriri posse: at ex eis quatuor fontibus vt suprà, quod summè considerandum venit. Quandoquidem ille, qui cupit sua præseruare bona, domum, prædium, hortum, pratum, agrum, & similia quæuis à fulmine, grandinéue tueri: hæc primò sciat oportet, quo pariter cognoscat inferiora superioribus assimilare se posse: cuiusuis tamen originem tempestatis hoc loco breuibus declarabimus.

Origo tempestatum quid sit.

Tempestatum origo certè nihil aliud est, quàm Spirituum apparentia, & præcedens fulgur aut coruscatio, præsentia eorum est, â qua quidem cognosci potest, vtrum illæ tempe-

tempestates cum vel sine periculo transituræ sint, idque ad hunc modum intelligendum: videlicet, Vt peregrinus aliquis in domum alterius non intret, nisi loquatur: sic & illi Spiritus nobis nõ apparēt, nisi priùs loquantur. Tonitru siquidem loquela eorum est, quod inde mox sequitur, vti videmus, pòst, vnumquodque fulgetrum. Item, vti peregrinus in alterius domum repentè fugiens, in qua fuerit incognitus, nihil boni significare videtur, at mali potiùs, aut ipsum ab aliis persequi, vel cuiquã aliàs damnum intulisse. Non secùs de fulgure cœli nobis intelligendum, nempe quò celerius fuerit, eò peius indicium exhibet: communiter enim aliquod fulmen subsequitur. Scitu maximè necessarium est, quînam ab eo tutus euadere quis valeat, aut vt in locũ, in quem noluerit, haud incidat, vel damnũ inferat, efficere Non iuuant in his campanarũ pulsationes: quãuis eas reiicere nolim, præsertim in tempestatibus per Sagarum incantationes, ascendentia, nec non Spiritus in aere productis. Silentia quidem & quietudines amant Spiritus, quò fit, vt magni toni, rumorésue, prout campanarũ & bombardarum, tempestates ab eis excitatas pro parte minuant, atq; separent: sed in fulminibus & grandinibus nihil efficiunt, vt nõ sine dãno sæpiùs experti sunt monachi, sacrificulique,

Hac de causa ceremonias addiderunt, quibus vulgares & plebeos seduxerũt, eis persuadentes aqua sancta (quam vocant) aspersa loca tuta fore à fulmine, grandinéque: pariter accensa candela benedicta, vel palma quapiam, aut alia quauis herba per eos sanctificata, fumóue thuris aut myrrhæ sacrificatorum etiam secura fieri.

O' fatue prorsum & insane sacrificule, monachéque tu, qui harum es rerum ignarus, nihilòque minùs eas intelligis, cùm hoc loco doceas contrarium, vtpotè suauibus odoribus arceri malignos Spiritus, quibus fumigationibus mirum in modũ delectantur, & ad istas libentiùs, ac citiùs, quàm ad fœtentes accurrant, siue boni vel maligni Spiritus existant. Verùm si loco thuris ac myrrhæ docuissetis, ex assa fœtida fumigia conficere, his tam bonos quàm malos arcere Spiritus potuissetis. Nam odor bonus myrrhæ, thurisque nihil aliud est, quàm sacrificiũ Spirituũ, quo possumus eos ad nos attrahere. His de satis hactenus diximus.

Quomodo quiuis locus à fulmine tutus reddatur.

Vt ad ea, quæ proposui scribere, iam redeam, & primò quînam locus omnis à fulmine præseruari debeat, & grandine: notandum est, eiusmodi præseruatiuum in centro domus, horti, vel agri, &c. minimè validũ existere, sed ad quatuor angulos, vt Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem,

nem, tum demum locus tutus erit. Velut ædificium aliquod ſuper quatuor columnas poſitum firmius eſt eo, quod ſuper vnicam eſt fundatum, in medio centri collocatam, vel in alio loco: hoc facilius à ventis vel Spiritibus diruitur. Quod ad præſeruatiua tamen attinet, ac materias, ex quibus conſtant quatuor iſtæ columnæ, ſciendum, aliqua fore corpora ſimplicia, quorum vnumquodque per ſeipſum prædictas vires habet, ac ſufficiens eſt, vt artemiſia, hypericon, clematis, chelidonia, ruta, morſus diaboli, & ſimiles herbæ, radicéſque plures, & potiſsimúm cùm in influentia vera fuerint eradicatæ, ſumtæque.

Corporum quædam ſimplicia.

Præterea ſunt alia quædam longè maiorum virium ac virtutū, prout corallia ſunt, Azoth, & prædictorum characterum vnus deliniatus in aliqua tabella (aliàs) oblata. Magnū in his tribus arcanū contra quaſuis incantationes, opera Sagarum atq; Diabolum ipſum: quibus etiam præſeruatiuis in ſummis neceſsitatib. noſtris fidere poſſumꝰ.

Corporū aliæ virtutis ſunt efficacioris.

De maximo magicarum artium abuſu, quo tranſeunt in Nigromantiam & faſcinationem
Cap. XI.

ARS magica in ſeipſa, eſt occultiſsima ſcientia rerū ſupernaturalium in ter-

Ars magicæ quid.

ris, vt quicquid hominum rationibus inue-
stigatu est impossibile, per hanc artem, nem
pe magicam, indagari, cognoscique potest.
Quandoquidem est occultissima sapientia,
cùm ratio nihil aliud contrà sit, quàm stul-
ticia maxima. Quamobrem summè neces-
sarium foret, vt etiam de hac aliquid Theo-
logi cognoscerent, experirētur quid magi-
ca sit, & non sic immeritò sine fundamento
fascinationem appellarent. Valdè foret eis
vtilis magica scientia, cùm ipsi Scripturæ sa
cræ Doctores atque Magistri velint esse, ta-
lésque sibimet fore persuadeāt. Non quòd
putem istos vti magica scientia debere, per
eam operari quidpiam, sed eius expertos es-
se, necnon ipsius effectus atque virtutes co-
gnoscere, propter alta, magnáque mysterio-
rum arcana, quæ sunt in sacris Scripturis
occulta, per Apostolos, Prophetas & Chri-
stum ipsum prolata, & quę nos per nostram
humanam rationem intelligere non possu-
mus, nec inuestigare.

Quis Theologorum ignarus magię? Dæ
monium eiecit, aut Spiritum arcuit, vel ad
se vocauit, veniréque iussit: aut, quod lon-
gè minus est, ægrum sanauit, vel ei præstitit
aliàs auxilium per solam fidem suam: vt in-
terim taceam hac ipsum transplantasse mon
tem in mare. Sequitur inde, fidem illam, de
qua loquitur Christus, ipsosmet nec pa-
rum,

rum, neque multum intelligere, nihilominus indies ore proferunt eam, docent, ac de ea loquuntur multa: verùm seipsos probare nesciunt, & per fidem aliquod signum ædere, quo dici posset eos intelligere fidem, nec non hac vti ad eius probationem. At si quispiam veniat, qui per fidem & Magiam bonum signũ faciat, nulla boni maliue habita ratione, vocatis eum vos Nigromanticum & fascinatorem, quia supra vestram rationem, & humanam sapientiam quid edidit, cùm tamen vos Magiam à Nigromantia discernere nequeatis.

Magia est expeditissima quædam ars, & mundissima, nullis inquinata ceremoniis, vel coniurationibus, prout Nigromantia. Nam in Magia nullus est ceremoniarũ, consecrationum, coniurationum, benedictionum, neque maledictionum vsus, at fidei solius, de qua loquitur Christus, inquiẽs, eam transplantare montes in mare, quæ Spiritibus etiam & ascendentibus omnibus imperare potest, cogeréque. Hæc est Magiæ verum fundamentum & instrumentum.

Magia quid.

Summè verè necessarium est in hac arte prospicere, ne in superstitionem & abusum transeat, in perditionem hominum, vel damnũ eorum; hac enim via fit Nigromantia, fascinatióque, tum demũ non immeritò sic appellãda venit ab omnibus, quód fasci-

natores & Sagæ quæuis in Magiam se violenter intrudant, ac si porci delicatos intrarent hortos. Non secùs ab istis perfidis hominibus Magia Nigromãtia facta est, quare non immeritò cum suis fascinatoribus & Sagis igne cremanda. Nam genus hoc hominum est nocentissimũ, & inimicissimum omnium humano generi, vt peiores inimicos istis habere nequeat in terris, quum aliquem odio prosequuntur. Ab inimico pręsenti, corporalique persecutore, qui pessimis armis, bombardis aut iaculis inuadere nititur, cauere quis potest, vel armis contra ipsum in defensionem assumtis, loricis, iaculis, &c. vel domi prorsus manendo, neminem etiam intromittendo, præter amicum. Sed à fascinatoribus & Sagis nemo cauere sic potuit, nec præseruare se, quod contra genus hoc inimicorũ Dei, hominúmque non iuuent arma, loricæ nullæ, nec ostia clausa, neque seræ, quòd omnia penetrent, cunctáque sibi sint aperta: & si quis in ferreis, aut calybeis inclusus esset arcis, ab istis inimicis suis propterea securus non existeret. Quamuis proprio corpore nemini damnũ inferant, spiritus & ascendentia mittunt in aliquẽ, per putaticiam eorum fidem, & absentem, vel à centum miliaribus corporis aliqua parte lędunt, vti volunt, percutiunt, confodiunt, aut prorsum occidũt; licet nul-
lum

lum exterius vulnus, appareat: hac de causa quòd externum hominem lædere nequeāt, sed internum tantùm vitæ Spiritum. Quapropter nulla tueri potest lorica quantumuis bona, sed alia sunt induenda munimenta vel arma, nempe fidei: hæc vera semita, & lineo tandem indutus vestimento inuerso, postquam sæpius rectè gestatum fuit, longè tutior euades, quàm loricatus, & quibusuis armis circundatus.

Quamquam eiusmodi præseruatiua plura sunt, quæ tuentur hominem ab omnibus magicarum arreptionum fascinationibus, quæ fiunt per ascendentia: cuiusmodi sunt coralla, azoth, & similia, quum iuxta vetum ordinem & vsum gestata sunt, ab eis, quæ dicta sunt, præseruant. Præseruatio facilis existit, sed curatio difficilis, nihilominus possibilis: nam in hac etiā magicè, procedendum & supernaturaliter. Inde habet ortum, quód nonnulli dicunt: nemo potest melius fascinatis auxilium præstare, quàm qui damnum eis intulit. Verum est hoc verbum, cui minimè contradici potest: at qui dixerunt hoc, nō intellexerunt causam eius rei, nec rationem aliquā reddere potuerunt, cur fascinatores fascinatos omnium optimè, fœlicissimè, necnon aptissimè curare, iuuaréque valeant, cuius quidem rei satis amplam hîc instructionem habeto.

Nonnulli fascinatores imagines extruũt in homines formam, quem sibi proponunt & in animo concipiunt, clauam in volam pedis incutiunt. Ad hunc modum hominem lædunt, vt inuisibiliter eiusmodi clauam in pede ferre cogatur, ac ab eo dolores pati, vt nõ possit ambulare, tam diu, donec in imaginis pede clauus defixus fuerit, eo tamen extracto sanatur homo. Meliùs vtique nemo nouit, vbi clauus eiusmodi sit fixus, illo, qui fixit & incussit.

Sępius etiam accidit, vt ad hunc modum homini clauus in dentem figatur, qui postmodum requiem habere nullam potest in dente, nisi clauus extrahatur, vel dens euellatur. Similiter aliis imaginum membris incutiuntur claui per illos archifascinatores, & hac via læduntur homines præter cutis apertionem suæ-

Accidit etiam sæpissimè homini, vt in capite vel alibi tumores oriantur, signa, vel cœruleæ maculæ, idque repentè, vel per totum corpus non aliter doleat, ac si tunderetur actu fustibus. Cui quidem id euenerit absque visibili vel perceptibili quopiam actu, non iudicet aliud, quàm ab eiusmodi fascinatore per imagines se percussum esse. Latius euenit, hominem oculum amittere, idque etiam repentè, vel vt cęcus omninò fiat, aut surdus vne vel ambabus aurib⁹, mutus, bal-

balbutiens, tortus, claudus, vel vt moriatur, omnibus diuina permiſsione, per eiuſmodi faſcinatores accidentibus. Quę quidem omnes magicæ, per aſcendentia factæ ſunt arreptiones, ac adimpletæ. In his animaduertendum eſt Medicis, vt quum iſtiuſmodi ſupernaturales dolores viderint accidere, ne iudicent eſſe morbos naturales, & ita ſuis, apothecariorúmque pharmacis & medicamentis vtantur. Nam inde nihil præter dedecus reportabunt, quod plurimis eorum accidit. Crux eſt (inquiunt) à Deo hominibus impoſita, vel caſtigatio, cui nullum poteſt adferre Medicus auxilium. O vos Magiſtri Hekelij, non eſt vt vos putatis, at eſt caſtigatio per malignos homines & archifaſcinatores, quę tamen ex permiſsione Dei fit. Quapropter ſigna conſiderare decet Medicum, à quibus ea cognoſcere debeat ac iudicare, vt ſciat quid ſuſcipiat curandum, & qua ſibi medicina fuerit vtendum.

Mediaorum officium.

Eſt quòd primò patientē interroget, quînam id ei contigerit, & quando, quæ fuerit origo mali, ſi caſus, iactus, truſio, percuſsio, vel aliàs naturalis occaſio percipi queat, ex fluxionibus aut corrupto ſanguine. Horū ſi nihil cōperiat, rurſus ægrotū interroget, vtrū inimicū, aut nō fauentē habeat ſibi ſuſpectū hominib9 vt faſcinatorē. Si reſpōdet ita ſe rē habere, iam iudicare poterit, ei, ꝓpus

ſuperiùs dictum, eueniſſe. Qua via tamen eiuſmodi patienti ſubuentum eſſe queat, vnicuíque Medico ſcire maxime neceſſarium, qui perfectus in arte fore cupit. Verùm quod hac de cura non ſcripſerint veteres, neque Galenus, nec Auicenna, vel quiſpiam alius, curam ponemus in modum, qui ſequitur.

Proceſſus curandi faſcinatos.

Faſcinati meliùs curari nequeunt, quàm iterum vt illis damnum illatum eſt, faciendo, hoc eſt, per fidem & imaginationem ſimile membrum quod læſum fuerit, aut integram imaginem ex cera conſtruendo, quam vel quod vngat, emplaſtriſque liget, vbi tumores, ſigna, vel maculæ fuerint, auxilium homini præſtabit, cuius nomine fiet, ceſſabitque dolor, &c. Si tamen ita faſcinatus ſit, vt eum priuatum iri dubitet oculo, auditu, pudẽdorum facultate generatiua, loquela, voce, vel tortum & contractum fieri, fabricetur imago tota vel integra, cerea firma cũ fide, in quam imaginẽ imaginatio fixè prorſum intenta ſit, & poſtmodum igne tota cremetur iuxta verum ordinem. Non eſt quod miremini faſcinatis ita facilè ſubueniri poſſe. Nolite fieri ſicut Academiarum Sophiſtæ, qui talia derident, impoſsibilia fore dicentes, contra Deum atque naturam, quòd in ſuis ſcholis non doceantur.

Inde ſequitur, cùm vera ſint, Medicum non

non omnia quæ ſcire debet in ſcholis addiſcere, verùm aliquando ab anubus, circulatoribus, Ægyptiis, ruſticis, vagabundis peregrinis, & ſimilibus: iſti namque maiorem in illis rebus experientiam habent, quàm Academiæ omnes.

Dicendum etiam de faſcinatorum iaculationibus, vt Sagæ, faſcinatoréſque vocant, quum hominem contractum reddunt, eo videlicet, quòd cineres, capillos, plumas, ſetas porcinas, piſcium ſpinas, & ſimilia plura mirabiliàque in pedem aut corpus inferunt præter cutis apertionem.

Faſcionatorum iaculationes quid.

Quînam id & qua ratione fiat, non eſt hoc loco dicendum, quòd ab aliquibus facilè perciperetur, vnde mali plurimum accidere poſſet, quare non ponimus: at cura tantúm eſt ſcriptu valdè neceſſaria, qui pariter ſine cutis apertione, dolorèq; talia poſſint extrahi. Summè vitandus eſt antiquorum vſus, qui dolorum centrum nouaculis exciderunt, ac ita profundè, vt capilli, nec non alia reperta ſint, eóque proceſſu multò maioribus homines doloribus affecerunt, intolerabilibúſque martyriis, tortorum & carnificum inſtar prorſum occiderunt: eo namque remedio pauci curati, multi verò vita priuati fuerunt. Quare proceſſus hic relinquendus eſt, & melior amplectendus: ni fortè iaculatæ ſimilis materiæ, quæ reperta

Cura falſa.

Cura vera & recta.

fuerit, parum, aut multum, tota vel media quantitas, in Sambuco vel quercu sepeliatur, & clauo figatur ad Oriẽtem. Quo facto maiore labore nõ est opus: nam hoc ipsum aliud, quod residuũ est, extrahet à corpore, sanatióque sequetur absque alio remedio. Aliter nisi collocetur suo loco, prout suprà quod extractum est, quantùmcúmque fuerit, semper in damnum redit, vt non minuatur eiusmodi iaculata materia.

Qua ratione tamen præcandum sit, vt extrahi queat corpus hominis absque labore, doloréque, præter apertionem, combustionem vel incisionem, optimè notandum venit, id per Magnetes fiere debere, qui fascinationum omnes materias ad se trahunt, vti sunt folia quercus, chelidonia, azoth, pulue risata coralla: quæ si quodlibet per se ligetur super centrum, in vigintiquatuor horis, quamcúmque materiam in corpus eo modo iaculatum extrahit, vt penes id reperiatur.

Securitas ex coniecturis vana.

Vnicum adhuc est, quod adferam, vt poté, quod communi quodam eloquio dici consuetum est. Inimicus huic aut illi sagæ vel fascinatori sum, quapropter nihil mali mihi potest inferre: quod firmiter etiam creditur ab hominibus, videlicet istiusmodi perfidas personas, eis à quibus habentur in odio, nocere minimè posse, at illis tantùm qui benefaciunt, amãt, &c. quod falsum est.

Nam

Nam quicúmq; sunt ipsis inimici, præbent eis occasionem, vt istis etiam inimicæ fiant, & inde tandem oritur persecutio iuxta morem & proprietates inimicorum. Si tamen eis resistendum sit, vt nocere nequeant, id fide fieri necessum est. Ista námq; singula confirmat, corroborat, subleuat ac eleuat, cunctáque potest.

Finis occultæ Philosophiæ per Theophrastum Paracelsum.

AVREOLI PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI MEDICINA COELESTIS,

siue de signis Zodaici & Mysteriis eorum, quatuor comprehensa tractatulis.

PROLOGVS.

HAud dubium est, plurimos in admirationem, vbi hæc mea scripta prodierint in lucẽ, raptos iri, propter mirabiles admodum vires atque virtutes, quæ in metallis, priùs tamẽ præparatis manu & viribus cum tempore comperiuntur: quos inter nonnulli superstitiosas & fascinarias operationes, contra naturam, & idololatricas fore iudica-

bunt operationes, ac si diabolicis coniuranibus ad eas perficiendas opus foret. Loquentur isti: quînam esset possibile, metalla characteribus, literis & verbis insignita, vires tantas habere posse, nisi per fascinum & auxiliũ Diaboli præparata? His ita responsum esse volumus: Audio vos illis fidem adhibere, credereque vires habere, si Diaboli præparentur auxilio, nec nõ operari quid posse. Non potestis etiam credere totius naturæ Creatorem Deum, in cœlo tantam habere potestatem, vt eiusmodi vires & operationes metallis, herbis, radicibus, lapidibus ac aliis similibus rebus tribuere valeat? ac si Diabolus potentior, & sapientior ex hoc vestro fidei iudicio foret, quàm vnicus & omnipotens Dominus Deus, qui sua misericordia, metalla, nec non lapides, herbas, radices, & omnia quæcunq; in & super terrã, in aquis, & in aêre viuunt ac natant, propter genus humanum, & eius vtilitatem creauit atque graduauit. Certum est etiam, experientia comprobatum ac euidens, mutationes temporũ, vires, operationésq; maximas habere, præsertim si metalla quædã, suis determinatis temporibus, fabricentur, vti manifestum est multis, & nobis experientia notissimum diuersimodè. Nemo pariter docere potest, metalla fore mortua vel vita carere, cùm ipsorũ olea, salia, sulphura, nec nõ essen-

essentia quinta, quæ summa præseruatiua sunt, maximas ad humanę vitæ restaurationem, vires & virtutes obtinent, præ cæteris omnibus simplicibus, vt in omnibus nostris assignatis remediis docemus. Profectò nisi vitam haberent, qua ratione possent alia morbos tollere, corporisq; membra destructa rursum instaurare, corporalem eis vegetationem excitando, prout in contracturis aridura, calculosis, morbillosis, hydropicis, epilepticis, phreneticis, podagricis, & quibusuis aliis morbis, quos breuitatis gratia hoc loco præterimus Hac de causa dico metalla, nec non lapides, æquè bene ac radices, herbas, & alios fructus, vitam in se continere, verùm diuersimodè iuxta sui fabricationem, ratione temporum obseruata contingentem. Habēt etiam tempora singulares vires, quod manifestò constat, & variis argumentis probari potest, huc non adducendis, cúm per se nota sint & communia. Non sumus eius intētionis, vt clara notáque tractare velimus híc, sed grauissima, nec non imperceptibilia, sensibus quoque prorsum contraria.

Propositum explicat.

Caracteres etiam, literæ, signa, &c. quódque suas vires & operationes habet. Cùm igitur metallorum natura, conditióque cœli, pariter & planetarū influentia, cum operationibus eorum: item caracterum, signo-

rum & literarum ſignificationes atque proprietates, vnà cum obſeruationibus temporum ſimul concurrant, & concordent: quid obſtaret, quo minus iſta ſigna, vel ſigilla vires & operationes ſuas nõ haberent, vnum ad caput ſuo tempore, ad viſum aliud, calculum, renes, lapidem, &c. ſuis etiam temporibus, & præſtarẽt auxilium illis, & non aliis, vtpotè qui potiones intra corpus ferre nequeunt? Modo hoc omne fiat medio, nec non auxilio Patris medicinæ Ieſu Chriſti ſolius ſanatoris noſtri?

Obiectio. Si quis obiiciat verba vel caracteres nullas habere vires, ac dicat cum aliis, nullius notulam tantùm operari, quantùm crux aliqua, cùm nudum ſignum eſſe videatur: item ὀπύχωδοξ non plus Græco ſermone, quàm Germanico præſtare poſſe, at ſolùm ſerpentum ſignificare mortem, aut idem, quod ardens. Dicat is mihi, qui talia protulerit, vnde procedat, quòd ſerpẽtes in Heluetia, vel Sueuia Græca verba oſij, oſija, oſij, intelligant, cùm tamen in eiuſmodi regionibus Græca lingua non ita vulgaris ſit, vt venenoſi vermes ibidem illam intelligere, vel addiſcere poſſent ex vſu? quî igitur vt intelligant, qua ratione, tum in qua ſtuduerunt Vniuerſitate, vt mox atque verba hæc audiunt, aures cauda ſua prudenter occludant, vt illa prorſum non audiant? Nam ſta-

Serpentũ natura.

tim

tim auditis eiusmodi verbis, contra propriam naturam firmantur & quiescunt, nihil hominibus inferentes damni per venenum aut morsum; aliter statim atque homines audiunt progredi, fugiunt repentes in sua receptacula. Si dicas naturam id efficere: hoc expectabam te loqui: nam si natura cum serpente sic agat, cur non cum aliis? At si dicas id vocis tonũ efficere hominis, quo terrefacti serpentes ac stupefacti quiescunt, aut ob vires in homine latentes; quare non igitur manent cùm rumores maximos ædit homo, vociferatur, bombarda sagittat, &c? Habent similiter in se mirabiles vires, caracteres, atq; sigilla, quæ naturæ minimè contrariæ sunt, neque superstitiosæ. Item si dixeris verba nihil efficere, nisi hominis adsit vociferatio: contrà, si verba scripseris eadẽ in pergameno, vel papyro suo tempore, serpentique superposueris iam capto, vel aliàs quocunq; modo opteris, æquè benè manet firmus & hærens, atque si vociferando verba dicta protuleris.

Nec est quòd ita mireris, medicinam aliquam in corpus etiam non assumtam iuuare posse hominẽ, sed ad collum eius tantùm suspensam, vt sigilla. Quid enim vesicę cum cantharidibus est commune? tamen eius vrina conuertitur in sanguinem, vbi cantharides manu tentæ fuerint, & conclusæ, cúm

Vrina in sanguinẽ quando.

vesica vas vrinam continens in corpore sita sit, ꝑcul à pelle manus extra corpus existẽte.

Halcyo auis. Item vires adhuc retinere post mortem aliqua, probo per Halcyonem auem, cuius pellis à suo cadauere separata, clauo suspensa, & exsiccata, singulis annis plumas reiicit, aliæque renascuntur ei, nedum vno vel duobus annis, at pluribus vno post alium.

Alia obiectio. Si tu latiùs interrogaueris, penes quem auctorem, aut scribentem istas vires legerim, aut ita se habere fuerim expertus? Respondeo tibi Sophistæ, ac donorũ Dei contemptori, naturam ipsam ocularibus suis demonstrationibus omnes auctores mundi, nec nõ scribentes excellere. Dic tu quæso: Quis tuorum auctorũ aut scribentium docuit, Vrsum, cùm ob sui sanguinis abundãtiam & superfluitatem visus obscuratur ei, casas apum adire, quæ suis aculeis cutem aperiant in sanguinis effluxionem? Quis Medicorum ceruum diptamum herbam docuit in medicinam assumere? Quisnam serpenti colubrinam vel dracunculum ostendit? Quis cani gramen ad suam theriacam & purgationem? Quis ciconiæ fuit auctor clysteris aquę salsæ maris rostro sibimet immissi? vósne vel ipsa vobis? Sic de reliquis & infinitis animalibus, curã sui naturaliter callẽtibus ad suos morbos. Quis, rogo vos, bruta animalia docuit medicã artẽ? Si dica

Vrsi phlebotomia.

Serpẽtis ingenium.

tis

tis id fecisse naturam, optimè: si natura hoc poßit in brutis animantibus, quantò magis in hominibus, qui sunt ad imaginem Creatoris omnium rerum facti, rationéque ad similia considerandum à Deo dotati.

Quòd autem res extrinsecùs applicatæ, substantialiter in corpus non intrantes, morbos nullos curare valeant, falsum est. Nam Sol ipse, qui nobis ad lumen, claritatem & rebus omnibus ad vitam præsentem inseruit, in occultißimas, penitioré sque terræ mansiones penetrans, cuncta sub terra latentia, vsque in centrum viuificat. Quis ergo negabit, Veris tempore potißimùm, abditiores terræ partes à Sole calefieri, quamuis in superioribus tantùm luceat? Vnde vires & succi rerum omnium vitam accipiunt. Nunquid igitur naturæ splẽdor & influentia cœli, siderum, planetarũ, & mediorum aliorum, quibus vtimur ex metallis, herbis, lapidibus, & similibus aliis rebus depromtorum, in hominum corpora lucere possent, ac interiora membra, latentiáque penetrare? prout neruos, venas & alios internos defectus in carne sanguinéque hominis latentes, ac vbique tempore longo congregatos & ortos? Varij sunt morbi, nec nõ accidẽtia diuersa, pariter & curæ iuxta qualitatem eis oppositæ, suis peculiaribus temporibus atque diebus; sic vt contra similia

metalla, certis præparata, & in vsum assumta temporibus ac modis, optimè iuuent. Vt si lepram auro pellendam suscepero, quid obstabit, quin oleum etiam ex eo factum per inunctionem eam curet? Item si morbillos oleo Mercurij perungerem, putasne me hos ipso Mercurio curare posse? sine dubio, præsertim si tempus ad hoc requisitum obseruē, sine quo medio postremo, frustranea quæuis foret vnctio talis, & si balnearet æger in oleo Mercurij. Si deficerent etiam in aliquibus vires mercuriales, aliis contrà, me oporteret vti remediis: quod nisi facerem, temporis nedum obseruatio, verùm etiam vnctiones, & labor omnis vltro, sinéque fructu futura sunt, ac in peiorem statum adducent patientem. Certum est enim à superioribus cœli sideribus & eorum potentiis, pro maiori parte morbos hominibus influere, non tamen ita repenté, vt statim percipiantur verberum instar, aut vt ex pauore morbus caducus: at lentè successúque tēporis præter omnem perceptionem accumulantur tam diu, donec stillatim, vt oleum in aquam cadens, eam impinguescit. Homo pariter suos defectus percipit à membrorum contracturis, appetitus amissione cibi & potus, à doloribus, &c. iuxta cuiusque morbi conditionem & proprietatem, diuturnis siderum operationibus, & accidentium

Morbi ex siderum influentiis.

tium per attractum in nos aërem præparatas auxilio.

De communioribus capitis doloribus Cap. I.

DOlores capitis communiores varij sunt. Nonnulli proueniũt ex propria nostra petulantia, per superfluam cibi, potúsque sumtionem. Alij procedunt ex prauitate vaporum, è stomacho sursum ad caput ascendentium variis de causis, de quibus hoc loco tractare minimè proposui: sed solùm de grauioribus morbis capitis, vt infrà sequitur.

De morbo caduco, vel Herculeo. Cap. II.

PRimùm omnium quod animaduertendum in hoc morbo, casuum, est quodlibet signum: vtrum æqualibus temporibus fiant, mensibus, diebus & horis, quoties, aut an sint inæquales vel diuersis temporibus contingentes, & vtrum antequam fiant, patientes parumper vacillent, aut ex improuiso, repentéque decidant in terram. Quo percepto, si certis cadant horis, comperietur ipsos non ita repente mox arreptos aut cadere: siquidem inæqualibus temporibus & horis, contrarium accidere, nempe

casum ex improuiso fieri. Prior modus, videlicet cùm ante casum aliquantulum vacillant, mortalis est, vt si casum, priusquam fiat, percipiunt: inopinatus verò casus non ita periculosus, at curabilior, quod non sit, vt prior ex natura, cum qua nihil commune habet, quare minimè debilitat eã. Prior phrenesim & maniam infert, alter verò casus & morbus, non horum cura talis est.


Primò considera quo die, quáq; hora vice postrema ceciderit, ac scribe: tum vide quis planetarum illi horæ conueniat. Item patientis signũ & gradus cognoscẽda sunt. Postmodum anni patientis annumerandi, tum sexus, quæ simul scriptis notata seruato Medicinam hãc tandem singulis diebus manè dato potandam, vt sequitur:

R. Spiritus vitrioli,
Quintæ essentiæ antimonij ana guttas v.
Quintæ essentiæ margaritarũ guttas iiij.

Omnia simul in aquæ rosarum haustu mediocri propinato patienti manè, postea ieiunium ad horas quatuor imperãdo, per dies nouem & viginti iste processus seruetur. Laminam interim infrascriptam ad hunc modum construes:


R. Auri puri ℥.ſs. & cùm ☾ Cancri duodecimum gradum attigerit, in vrceolo fictili sta-

li ſtatim liquefiat, & in recentem ac puram effundatur aquam. Poſtmodùm animaduerte cùm in cœlo duorum planetarum ſit futura coniunctio, tunc temporis præciſè liquefacito rurſus aurum hoc, & in puncto coniunctionis affunde ℥. ſs. ☾ perfectiſsimæ, ſic vt ſit mixtura quædam ex Solis & Lunæ partibus æqualibus. Hanc effuſam & frigefactā laminato materiam, vt quatuor vtrinque latorum digitorū amplitudinem æquet. Inde poſt in formam triangularem ſcindito, prout patet ex hac figura.



Laminam hāc excādeſcere p ignem facito, poſtmodū qeſcat, donec Lunam in eodem ſigno, gradúque reperias, in quibus antea tempore paroxiſmi fuerat, & eadem hora caracteres hos & ſigna cælare, vel ſculpere cum ſuis literis incipias, vt ſuprà patent, in laminam auro & argento conſtantem Eſt quòd expedias, vt prædictæ figuræ, notæq; prorſum eadem hora ſint abſolutæ, vel aliter fruſtrà forent omnia. Signum Planetæ horæ, in qua paroxiſmus incidit, primo ſculpendum erit in laminæ medio: prout in ſu-

praſcripta figura pro quodã Iacobo Seitz conſtructa fuit penes Epiſcopum Salisburgenſem viuente, qui hora ☿ ceciderat. Reliqua ſigna ſcribe vt in figura, hoc



tamen vno excepto, quod loco huius pro muliere hoc apponas,



& ſub altero patientis ætatem, vt & in figura 34. vides, tot annorum dictus Iac. Seitz extitit: annorum itaque numerus vnicuiq; paroxiſmo fuerit adſcribendus, iuxta cuiuſq; patientis ætatẽ.

Præparata iam, vt auditũ eſt, figura, poſt paroxiſmũ iuxta latitudinẽ iſtius laminæ, iube capillos eius in ſummitate capitis abradi, animaduerte ſtatim vbi poſtea ceciderit, & adhuc iacuerit, vt illi quapiam induſtria præſcriptũ arcanum in os effundas, ac teneas, quo deſcẽdat in ſtomachũ, inde mox lamina tonſurę ſuperponatur, ſculptura nudam carnem attingẽte, ligetúrq;, ne decidat: quo facto, portetur patiens ad locũ, in quo dormire quieté valeat. Poſt eiuſmodi caſum abſq; dubio nõ cadet ampliùs, etſi 30. annis morbũ hũc habuiſſet. Laminam ſemper oportebit eũ ſuper caput ferre, nec non capillos finito quouis menſe radi iubere, in ea manſione, ſub qua raſi primò fuerunt.


Alia figura quædam ad conſeruationem viſus. Cap. III.

Ex

EX optimo plumbo rotundam tibi laminam conſtrue ſub hora ♀, ☾ quidē in ſigno ♈ exiſtente, & eadem hora, nempe ♀, inſculpe ſigna, quæ vides in ſequenti figura conſcripta, literáſque. Poſtmodum ſub hora ♄ cupreā conſtrue laminam, eiuſdem quantitatis & formæ, cuius plumbea. Cùm ☾ fuerit in ſigno ♑, ſigna, quæ in figura videntur, inſculpenda ſunt, ac tam diu ſunt ambæ figuræ ſic ſeruandæ, nec non relinquendæ, quouſq; ♀ cum ♄ veniat in coniunctionem: tū demū in puncto coniunctionis, ambæ figuræ coniungendæ ſunt, ad hunc modum, videlicet, vt caracteres & ſigna ſeſe mutuó tangant: poſtmodum cera munias, ne madefiāt, & in pāno ſericeo conſutas, ad collum ſuſpendito ſub hora, diéque ☿. Remedium hoc eſt optimū ad aciem viſus recuperandam, & à doloribus oculos præſeruandum. Viſum etiam conſeruat in ſenectute, vt in iuuētute perquàm acutum.

Ad conſeruationem viſus.





Aduersus ariduram in cerebro, nec non alios capitis morbos.
Cap. IIII.

SEquentium metallorum optimè repurgatorum:

Accipe Auri ʒ.ß.
Argenti ʒ.ij.
Cupri ʒ.j.
Iouis ℥.iij.

Liquefiant omnia ſimul in eo puncto, quo Luna in cœlo renouatur, tum effundes, & ex ea maſſa nummum tantæ latitudinis, quantam voles, confice. Poſtquam tamen liquefacta ſunt metalla hæc, in ignem poni haud ampliùs debent. Quum Planeta Iupiter in ſua domo fuerit, ſcilicet in Piſcibus, inſculpantur iſti caracteres & ſigna prædicto nummo & anteriori parti, à tergo verò poſteriori que lateri verba, quæ videntur in ſequenti figura ſcripta in ſuperiori parte circumferentiæ nummi. Fiat annulus ex auro puro fabrefactus, & affigatur ei ſub declinatione Lunæ, vt ab eo ſuſpendi queat: nõ refert quo die, modò ſub hora Solis id fiat: iam præparatus eſt hic nummus, qui ad collum patientis in puncto Nouilunij ſuſpendendus eſt. Mirabiles operationes perficit, contra quoſcunque morbos capitis atque cerebri.

Ad

Ad cerebri morbos.





Contra Paralyſim excellentiſsimum arcanum.

Paralyticis vnius paroxiſmi, remedium in eorum conſolationem ſcribere volo, vt non ſine cauſa dicatur Archidoxum, cùm alias curas excellat omnes: quamuis etiam antiqui (ſed falſò) putarunt ad eiuſmodi morbum nullum eſſe remedium. Si quem igitur iſte morbus arripiat quocumque modo, ſic agendum:

R. Auri puriſsimi ℥.ij.
Plumbi ʒ.ij.

Ambo hæc metalla repurgatiſsima fore debent. Et primò, cùm Sol occidit, ſub terram ſe recipiens, eadem hora (quam ſecundum anni tempus calculabis) liquefac aurum, in auri fabrili nouo ad hoc præparato fuſorio vaſe fictili: poſtmodum occaſu ſtatim facto, plumbum in aurum iniicito, & mox effun-

dito ſimul, nam plumbum auro momentaneè permiſcetur: maſſam hāc ſerua. Poſtmodum Luna in ſigno Leonis duodecimo gradu exiſtente, materiam Solis & Saturni liquefac iterum, & inſtar metalli campanarum apparebit, cui veneris drachmas tres adiicies: at non diu permittes in liquatione, ſed mox effundas & ſerua. Tandem Luna duodecimum Scorpionis gradum attingente, materia liquefiat iterum, & liquidæ huic drachmam vnam Iouis iniice, ac mox effunde, ſed in formam latam, quia malleum non admittit ampliùs, neque forcipes: tum ſerua, donec Sol Arietis ſignum ingreſſus fuerit, quod plerûnque fit quotannis decima die Martij: caracteres & ſigna cum verbis vtrinque, prout in figura depicta videntur, inſculpes hora Solis incipiendo, ac ante finem eius abſoluendo. Non eſt obſeruandus aliquis dies, hoc ſolum, vt Sol in Ariete ſit, prout ſuprà dictum fuit. Nummus ad hunc modum præparatus ſeruari poteſt. Et quum Paralyſis quempiam arripuerit, perquiratur præcisè tempus, dies & hora paroxiſmi, vt eadem hora diei illius ſignum ad patientis collum ſuſpendi queat. Myſterium hoc maximum eſt: interim tamen aurum potabile noſtræ deſcriptionis patienti fuerit adminiſtrandum.

Contra Paralyſin.



Aduerſus renum calculum, & arenam. *Cap. V.*

NVmmus ad calculoſos fit ex quatuor metallis, auro videlicet, argento, ſtanno & plumbo, prout infra ſequitur:

R. Auri ʒ.iiij.
Argenti ʒ.iij.
Stanni ʒ.j.
Plumbi ʒ.j.ſs.


Hæc metalla ſimul omnia liquefiant in vrceolo aurifabrili fuſorio nouo, die Saturni, decem ante meridiem horis, creſcente Luna, quibus liquatis, iniicito ſalpetræ cum tartaro mixtum, hac de cauſa tantùm, vt ſint fuſibiliora, tractabilioráque. Poſtquam effuſa fuerint in laminæ formam, ſcindatur atque limetur hora ♂ die Veneris aliquo, ſed nihil adhuc inſculpatur. Itẽ annulus nõ eſt colãdꝰ, vt in ignẽ poſt fuſionem amplius

non veniat, ſed lima formandus eſt, quare lamina tantò maior eſt effuſione diſtendenda, latiórque, vt annulus & lamina fruſtum vnicum ſint: & ſi fieri poſsit, poſt liquationem, ſic effundenda eſt lamina, quod propter mixtionem diuerſorum metallorum, & præſertim plumbi & ſtanni cum aliis, materia prorſum fragilis euadat, vt malleo tractari minimè poſsit, neque forcipibus abſcindi. His peractis, aduertendum eſt ad plenilunium, & eum punctum, quo creſcere deficit in cœlo, tum demum incipiendum erit à ſculptura, nec non accelerandum, quo negotium in eadem hora poſsit ab vno latere, priùſquam abeat, abſolui, prout A` litera notatur. Poſtmodum ſeruetur optimè nummus hic, donec die Iouis aliquo, dum Luna fuerit in aſpectu Planetæ boni cuiuſpiam, vt Iouis, Veneris aut Mercurij, tum ab altera parte B. notata hora Mercurij, characteres inſculpantur ac verba, quæ videntur in ſequenti figura. Tandem appendatur nummus collo patientis calculum, ſub Lunæ defectu, die Lunæ, pariter & hora. Ferreum oportet annulum eſſe, cui nummus appenſus eſt. Poterit etiam patiens vinum illud bibere manè, cui per totam noctem præcedentem ſiglllum fuerit immerſum, & poſtea debet rurſus ad collum ſuſpendi. Calculus ad hunc modum & arena pellitur mirabiliter

ê re-

è renibus: cui rei confert etiam ſpiritus vitrioli Romani bibitus.

Ad renes & calculum.




De membris genitalibus Cap. V.

VIrium & virtutum in genitalibus mẽbris amiſsio, ſympathia quædam eſt, proueniẽs ex craſsitie, quæ tamquam ſpaſmus eo loci corporis potentiam impedit. Per accidentia diuerſa contingit, quorum aliquot naturalia ſunt, alia verò contra naturam, & per faſcinationem. Ad naturalem eiuſmodi paſsionem vtimur hoc remedio. Scribantur hæc verba cum adiunctis caracteribus in recenti membrana, quæ poſtea glandi circumligetur.

AVGALIRIOR σαλιχκαγφιλ גבבא



Carta hæc membrana renouari debet sin-
gulis diebus, idq; per 9. dies, manè semper
ante Solis ortum, retrorsum tracto præpu-
tio superligando, vel circumuoluendo, pér-
que diem & noctem ita maneat: quoties in-
nouatur carta vetus, aut deponitur, in cine-
res aduratur, q diglutiantur à patiente cum
haustu vini calentis. Hoc est excellentíssi-
mum remedium, exiguis admodum sumti-
bus habēdum. Si quis ab eo præseruari mor-
bo velit, poterit hæc eadem verba, signáque
super laminam argenteam sculpta, prius q̈
oriatur Sol, ad collum ferre suspensa: vel si
velit ex auro laminam fabricare, huic etiam
insculpere, quæ dicta sunt verba & caracte-
res, idem præstabitur auxilium. Vbi tamen
ex fascinatione, vel arte diabolica, morbus
hic per nefandos homines cuipiam illatus
esset, habeatur frustum equinæ soleæ ferreæ
per viam inuentum, ex quo formetur furca
tridēs Veneris die, ♄ hora, prout in sequen




ti figu-


ti figura videtur. Fabrefacta furca prædicta, super tres dentes sulpantur hæc tria verba cũ suis characteribus, & super capulum illa, quæ videntur in apposita figura, die dominica, prius q̃ oriatur Sol. Quibus peractis, furca figatur in terram sub fluentem aquam tam profundè, vt capulum non appareat, vtque reperiri nequeat. Hac via liberaberis in nouem diebus, & persona, quæ maleficium hoc iniit contra te, acquiret aliud eius loco sibi, quo ita non facilè poterit liberari. Sic oportet artibus diabolicis resistere per naturã, vt Christus per scripturam sacram Diabolo proponit in deserto.

Vt equus diutißimè duret.
Cap. VI.

EXistimare quis posset, me fascinationes aut similia scribere, quod procul abest: nam hoc certo dico, nihil hîc me scripturum, quod sit extra naturam, & quod non operẽtur naturæ vires, ac influentiæ cœlestes, quódque pro maxima parte non simus experti nos ipsi, prout istud. Iube habenas ex leonina pelle tua parari per sellarium equo, & ista verba cum suis characteribus inscribe certis suis temporibus, & percipies equum hunc, non vt equum, sed vt hominem viuere, diutiúsq; posse, nec vi-


ribus diminui, modó vt æquum eſt, & non præter conſuetudinem vtaris eo: item iuxta quòd habenas iſtas applicueris illi, poteris eum in ſuis conſeruare viribus, triginta vel quadraginta plus minùs annis, contra communem equinę terminũ vitæ. Ad hunc modum habenæ parandę ſunt, vt ei pro capiſtro etiam inſeruiant, freno tantùm ablato. Coriarius eiuſmodi pellem præparare debet hora ♃, id eſt, imponere foſſæ: qua præparata ſellarius hora Solis corrigias ex ea ſcindat, & poſtmodũ habenas conſuere poterit quum volet. His habenis affigendæ ſunt laminæ ſequẽtes, hora ☿ ſuper corrigiam capitis, ex ſtanno fabrefactæ


 S.V.R.Q.L.R.E. Corrigiæ dependentis à fronte ſuper naſum affigantur

 iſtæ, quæ ſequuntur, ex ♁ conſtructæ, horæ Lunæ.

 ♃ ↔ φ. λ. γ. π. το SELE. Sequentes laminæ ſtruendæ ſunt ex argento, horáque ♃ affigendæ ♃.

A.K.R.X.X.X.X.X. Iſtę,

 quæ poſtremæ ſunt, ex auro fabricari debent, horáq; ♂ affigi freno

 3.9.π ɴ Habenas eiuſmodi hora ♀ applicabis equo, tum demùm

mùm videbis quid natura valeat caracteribus efficere, nec non verbis, vbi tempus ritè fuerit obseruatum.

Vnguentum ad vulnera mirabile.
Cap. VII.

SYmpathia vel compaßio plurimùm potest in humanis rebus operari, prout si capias vsneam super caput, vel os mortuum expositum aeri concretam, videlicet,

Eius ℥.ij.
Axungiæ humanæ ℥.ij.
Mumiæ,
Sanguinis humani ana ℥.ß.
Olei lini ʒ.ij.
Olei rosarum,
Boli Armeni ana ℥.j.

Omnia simul in mortario terātur tam diu, donec subtilißimum inde fiat vnguentum, quod in capsulam reponas, vt cùm vulnus aliquod oblatum fuerit, lignum in sanguine vulneris intingas, vt sanguinolentū fiat, quod exiccatū vnguento suprascripto prorsum intrudatur, & in eo relinquatur. Postmodùm vulnus mané singulis diębus recenti lintea fascia, lotio proprio patientis madefacta ligetur, & sanabitur, quantumcunque magnum fuerit, absq; aliquo alio emplastro, sinéque dolore. Poteris ad hunc modum curare distātem à te miliaribus decem

aut viginti, cùm ſanguinem eius habueris.

Prodeſt etiam ad alios dolores vti dentium, & quorumuis damnorum, ſanguinolentum lignum hoc in vnguentum truſum, & in eo relictum. Item ſi clauo pes equi per ferrarium fabrum læſus fuerit, ligno ſanguine tincto, & in capſulam truſo vel in vnguentum, ibidémque relicto, curabitur. Hæc ſunt admiranda Dei dona hominum in vſum & ſanitatem conceſſa.

Armorum vnguentum. Cap. VIII.

POteſt etiam vnguentum fieri, quo quidem arma (quibus illinita vulnera fuerunt, inuncta ſi fuerint, curantur abſque dolore dicta vulnera. Hoc fit, vt prius excepto ſolo, quòd mellis vnciam vnam & pinguedinis bouis ℥. j. ſuperaddantur. Verùm, quòd arma ſemper haberi non bene poſsint, lignum, vt ſuprà melius eſt.

Contra podagram. Cap. IX.

REcipe Mummiæ,
Maſticis,
Myrrhæ rubeæ
Olibani,
Ammoniaci,
Oppopanacis,

Bdel-

Bdelij ana ʒ.ij.
Vitrioli ℔.j.
Mellis ℔.ij.
Tartari ℥.j.ſs.
Aquæ vitæ vertones iij.

Deſtillentur omnia ſimul in oleum.

Poſtmodum accipe muſcas inferiores à cadaueribus equorum naſcentes, ex eis optimè contuſis fac oleum: cuius olei equini miſce ℥.ij. cum ℥.iiij. olei ſupradicti. Mixta ſimul hæc olea duo, rurſúmqne deſtillẽtur, & ſtillatum hoc oleum ſeruetur.

Tandem infraſcriptos præpara caracteres, ad modum, qui ſequitur.

R. Auri purgatiſsimi.
Argenti puriſsimi,
Limaturæ Martis ana ʒ.j.
Saturni ʒ.ij.

Liquefiant omnia ſimul hora nouilunij per violentiſsimũ ignem, vt limaturæ Martis colliqueſcant: nam inuitè ſatis liquefiunt, quare boracis aliquid addendum erit. Liquata iam omnia ſuper lapidem planum effundantur & latum, vt lamina tenuis fiat: nam inobediens eſt malleo mixtura hæc ob Martem. Poſtea quum Saturnus cum Marte congreſſus fuerit, vel ei coniunctus, eadem hora, caracteres, verba, ſignâque laminis duabus inſtar nummorum limatis inſculpantur, & ante horam dictam abſoluantur.

Ad podagram.



Insculptis ab vna parte solùm ambobus nummis in hora dictæ coniunctionis ♄, & & ♂, ac præparatis, ita seruetur vt sese non non contingant.

Postmodum sigillum fiat ex auro purissimo, non admodum spissè laminato, cui cúm ♀ in cœlo ♂, vel ♄ coniuncta fuerit, insculpantur isti caracteres, signa, verbáque. Notato cùm sigilla coniungenda sunt, vbi ♀ cum ♄ coniunctionem habuerit, aurei sigilli secunda facies numero 2. subtus notata, contra sculptā superioris sigilli faciem imagine carentem humana verti debet, & numero 4. designata. Si tamen ♀ coniuncta ♂ fuerit, eadē aut sigilli secunda facies numero 2. signata, super alterius nūmi sculptam faciem superioris mixturæ, nec non humanam imaginem continentem, ac numero 5. signatam est vertenda. Cúmque Luna sextum Cancri gradum attigerit, eodem ordine

ordine, qui ſuprà demonſtratus eſt, nummi ſimul iungantur, aureo medium occupante locum. Per medium eorum forentur omnes vno foramine, ferreóque filo conſuantur, ac ad collum patientis ſuſpendantur, cuius membra ſupradicto ſunt oleo perungenda, prout ſuprà dictum eſt. Hoc ipſo naturæ vires ac operationes experieris, etiam in ſexagenarijs.

Aurei nummi pictura.

Ad podagram.



Vnguentum ſympathiæ contra Podagram.

Podagrici per phlebotomiam, aut ventoſas, tractus reſeruetur ſanguis, ipſo tamen inſcio, qua in re hoc vti velis. Deſtilla ter balneo maris in aquam.

Huius accipe ℥.vij. quibus addes,

Olei roſarum,

Saponis Veneti liquefacti ana ℥.ſs.

Axungiæ humanæ,
Axungiæ vrſinæ,
Succi barbæ Iouis ana ℥.j.
Medullæ bouis℥.ſs.

Omnia lentè coquantur in aeneo vaſe, donec in ſpiſsítudinem vnguenti conuertantur: aſsiduè tamen agitentur, ne comburantur. Poſtmodum in augmento Lunæ octauo die ſemel, patientis plantæ ferro pungantur, vt ſolet pro ventoſis applicandis fieri, partéſque dolentes itidem ad hunc modum etiam aperiantur, & calidiſsimè perungantur vnguento ſupradicto, vt penetret. Sic fiet, vt in nouem ſeptimanis abeat podagra. Vnguentum hoc decem annis in ſuis viribus & virtutibus conſeruari poteſt, in loco temperatè frigido.

Ad contracturas. Cap. X.

OLeum ſulphuris ad contracturas minimè contemnendum eſt, at potiùs tanquam ad eas principale quoddam remedium. Hoc itaque fit vt ſequitur. Recipe Sulphuris optimè pulnerati ℔.xv. quas è cucurbita fictili ſublimabis in vitreum alembicum. Quicquid ſublimatum fuerit ponatur in cellam penuariã ad ſoluendum, & ſucceſſu temporis in oleum reſoluetur. Poſtmodum ſubſequens compoſitio fiat.

Recipe

R. Olei sulphuris ℥.ij.
Saponis vngarici ℥.iij.
Aquæ vitæ ℥.v.
Oleorum oliuarum,
Rosarum ana ℥.j.

Hæc omnia coquantur prout vnguĕtum suprapositum ad podagram, obseruato, ne flammam concipiant. Membra perungātur optimè per dies triginta, sed in balneo sicco sudorem excitante: contractis maximè confert membris.

Sigillum ad contracturas.

Sume quantum voles auri per antimonium ter purgati, vt, si vis, Ducati pondus æquet: huic adde parum boracis & liquefac, quum Luna fuerit in decimo nono, vel vigesimo gradu Capricorni, & iniice statim vt liquefactum est, limaturæ Veneris grana triginta, sub eadem hora: quibus etiam liquefactis & mixtis, effunde simul, & maneat ita, donec Luna in eodem gradu Scorpionis existat. Tum demum liquefac iterum, & iniice triginta grana limaturæ ferri, ac, vt priùs, effunde. Serua tamen diu, donec Luna sit in Leone: tum fabricato, formatóque vsque ad sculpturam, quæ fieri debet hora Iouis. Non est enim, quòd iuxta Lunā calculetur amplius, donec appĕdĕda sigilla.

ſint. Hora dicta præ manibus exiſtente, ſigna, quæ videntur in figura depicta, ſculpi debent ab vtraque nummi parte. Nummus hic in pannum aliquem ſubtilem conſuendus eſt, & à panno tantùm, non à ſuo corpore ſuſpendendus, Iouis die, nec non eius hora creſcente Luna.

Ad Contracturas.



Ad menſtrua mulierum. *Cap. IX.*

FLuxus hic inordinatus mulieribus maximè damnoſus eſt, peculiaribus nonnunquam annis. Tantò ſaniores viuunt ac fortiores exiſtunt. quantò ſuis ordinariis temporibus profluuia ſua patiuntur, aut ab eis liberantur. Vnde naſcuntur ad ordinem ea redigendi binæ viæ: prior ad ſuperflua ſiſtendum, ac ad verum terminum adducendum: poſterior in eorum defectibus, vt prouocen-

uocentur in ordinatum fluxum. Defectus eorum terminus ad mortem eſt. Quapropter ad prouocandum, formetur ex puriſsimo cupro, ſine mixtione cuiuſpiam alterius metalli, ſigillum in hora Veneris, prout in figura ſequitur: ſi tamen eadem vnica hora non poſſet abſolui, maneat imperfectum vſque dum eadem redeat hora ♀. tum demum perficito: cuius forma hæc eſt.

Ad menſtrua.




Sigilum hoc lima formari debet in vnicum fruſtum, & ligari mulieribus per duos annulos corda quadam poſt tergũ, vbi ſpina dorſi habet initium, & ſuper nates, ſculptura cõtra carnem verſa, idq; hora ☾ hac deficiẽte.

Si quàm natura patitur abũdantiora ſint profluuia, ſculpantur iſti caracteres in argento puriſsimo hora Solis, ab vtraq; nummi parte, prout in ſequenti figura delineantur. Poſtmodum ſericeo panno circumductus & conſutus, non autẽ nudus ſuper nudam carnẽ poſitus, mulieri ſuper vmbilicũ ligetur, inuerſa facie, quæ numero 10. notatũr contra corpus. At poſtquàm fluxus ſtare

cœperit, ferat adhuc triginta diebus, tum demum auferat: nam ſi diutiùs deferret, periculum eſt, ne prorſum pereant ac ſiſtantur, in priore longè peius detrimentum.

Ad menſtrua.




Ad lepram. *Cap. XII.*

Leproſis à natiuitate, non bene per iſtas operationes tantùm, ſubuentum eſſe poteſt. Quare cum eis & alia habemus remedia plurimùm conducentia. Certum eſt auro poculento palliari lepram & occultari, ſed non prorſum é ſanguine tolli. Cuius rei cauſa eſt, quód quiſq; mundus homo balſamũ in ſe continet, leproſus verò nullũ: quo fit etiã, vt ſanitatem in ſe nullã habeat. Membrũ etiam congelatũ balſamo caret, eo fit vt inſenſibile ſit. Quũ vires auri veniunt in ſtomachum, qui poſtmodum eas in membra diſtribuit, inde reſultat humiditas quædam, quæ creſcere balſamum facit. Quare

tam

tam diu lepræ ceſſat augmentum, ac auri vires in ſtomacho fuerint. Item lepra non poteſt à medicis cognoſci, quum leproſus tribus diebus ante viſitationem aurum hauſit: loquimur hoc loco non de prorſum infectis & manifeſtis, at ſolùm de his, qui verſantur in dubio.

Ad lepram.



Si tamen ſimilibus remediis vnà cum ſupraſcripto ſigillo quis vtatur, de auxilio minimè dubitandū eſt. Eiuſmodi ſigillum fit magnū ex auro puriſsimo, hora ♄ laminato: caracteres autem hora ☉ inſculpi debent, quū ☾ fuerit in ♌, ☉ etiã in eodem ſigno repertus, ꝙ fieri ſolet in Iulio. Appendatur leproſo hora ♀ creſcente ☾. Poterit etiã de vino bibere patiens, cui ſigillū aliquãdiu fuerit immerſū. Quotãnis in Iulio renouari debet: nam poſt annum ſuas vires amittit ſigillum hoc, lepra tam acriter in corpora hominum operãte, in quibus radicem fixit.

Ad vertiginem. *Cap. XIII.*

NOnnullis qui vertigine laborant, apparet cœlum & terram in gyrum agi, voluique omnia: cæteris videtur aliquid circum oculos volitare. Species hæc est morbi caduci, iuxta magis & minùs, aut paralysis. Est enim conuulsio cerebri talis, vt spiritus visus & cerebri, spisso vapore quodam, ex stomacho sursum ad caput ascẽdente per neruum opticum, impediuntur. Contra morbum hunc, sigillum quod sequitur extruito.

Hora Martis diéque Iouis, Luna in Arietem ingressa, qui Martis est optimus aspectus: notandum est interim, ne ab alio Planeta quouis in despectum aspiciatur.

Accipe Solis ℥.ß.
Martis ℥.ij.
Lunæ ℈.v.

Hæc tria metalla repurgatissima simul in vnum liquefacta, effundantur ac tenuissimè laminentur, & formetur nummus auricula sibi relicta Postmodum Luna duodecimum ingressa Tauri gradum, insculpe signa, quæ sequuntur, & appende patienti hora plenilunij, sub eo puncto, quo iã incipit.

Hoc remedio cum sigillo poteris vti:


Recipe Origani grana iiij.
Vnicornu grana ij.

Musci

Muſci gr.j.
Spiritus vitrioli gr.vj.

Adminiſtretur in cochleari manè ſingulis diebus, poſt mediam noctē hora tertia, per tredecim dies continuos, & qualibet vice poſt ſumtionem vna hora quieſcēdum eſt.

Ad vertiginem.



Ad ſpaſmum. *Cap. XIIII.*

FIat mixtura ex Sole, Luna, Venere & Marte. Poſtquam laminata fuerit, inde fac ſigillum Sole ſub terra quidem exiſtente hora Saturni. Tandem hora Iouis inſculpe hos caracteres, & ſigna cum verbis, & appende hora Solis, cùm ſub terra fuerit.

Poteris etiam ex prędictis metallis annulum conſtruere, cui ſigna hæc eadem inſculpta ſint, & annulum hunc in digito cordis geſtare: fieri tamē hæc omnia debēt, præſcriptis, vt ſuprà, temporibus, diebus & horis.


Ad tremorem Cordis. Cap. V.

Hominum corda nonnunquam tremorem patiuntur, & Magnatum præsertim atque Potentum: vt rarò morbus hic pauperes, & mediocres viros, aut mulieres arripiat. Inde videri potest, quînam Deus omnipotens vnicuique statui passiones tam artificialiter in castigationem & ad monitionem distribuit, absque respectu personarum. Non est inter leuiores morbos numerandus: nã vbi dominari cœperit, suum patientem in terram viribus & sensibus exanimatum prorsus deijcit & nonnunquam ad hunc modum occidit. Oritur ex membranulis & reticulo cui cor inuolutum est, ob compressionem, etiam ex corrupto prauóque phlegmate. Contra fac sigillum, vt sequitur obseruatis optimè temporibus.


Primò sub Lunæ die horáque, sume Lunæ ℥.ß. quam in fusorium vas positam serua, donec hora Solis adueniat, quę quidem in horarũ inæqualium ordine quarta subsequitur: tumdemum igne liquefiat, & liquatæ iam Lunæ, Solis inijce duas vncias, repurgatissimi tamen, vt & ipsa Luna fore debet. Liquefacta simul hæc duo metalla, perquàm optime cõmixta, relinquantur in dicto vase fusorio per se frigescre, & serua, donec hora Veneris inde sequẽs aduenerit.

Tum

Tum demum liquefac iterum, & inijce ℥. ij. puriſsimę Veneris, ac effunde. Poſtmodum in laminam redige malleo, præparáque vſque ad inſculptionem ſignorum. Deinceps animaduerte, quum Venus & Luna bono ſeſe reſpicient aſpectu, nummo tũ ſigna duo hæc inſculpito, quę vides. Poſtmodũ quan-




do Luna renouabitur in puncto, ſculpes hæc tria ſub duobus præcedentibus. Ab eo nouilu-



nio maneat vſque ad proximũ plenilunium, in cuius puncto ſuper omnia ſigna ſcribantur in eadem facie nummi vel ſigilli hæc verba, quæ ſequũtur.

Ad tremorem Cordis.



His peractis animaduertendum erit, cum Sol in Leonem ingreſſus fuerit, eadem ingreſſionis hora caracteres & verba, quæ videntur in altera figura, deſcribantur ab al-

tera nummi parte, ſic vt eadem hora ſingula cùm inchoentur, tum abſoluantur.

Sigillum hoc ita præparatum atque perfectum hora plenilunij, ſtatim in puncto, à collo patientis eſt ſuſpendendum, vt ad cor pertingat nudam carnem.

Ad hunc tremorem cordis etiam eſt vtiliſsimum arcanum Aurum noſtrum potabile, nec non eſſentia quinta Margaritarum noſtræ deſcriptionis: item oleum corallorum præparatum, vt ſequitur.

Præparatio Corallorum in oleum ad tremorem cordis.

R. Corallorum ℔.j.
Salis communis manip.iij.

Conterantur in ſubtiliſsimum puluerem, & in vitrum ponantur luto munitum, ex ſequẽti deſcriptione. Commune ſume lutum vel argillam, cineres oſsium capitum animalium quadrupedum, limaturam ferri, vitrum pulueratum, ſal commune, ceruſſam, &c. quæ humectata miſceto ſimul, &c. Lutatum vitrum cum ſua materia ponas in cineres cupella contentos, vt noſti: ſuccende primò lentum ignem, & augeto ſenſim, donec ſpiritus & fumi ſe recipiant in vas ſubmiſſum: poſtmodum ignem vrgeto vehemẽtius, donec ampliùs nullus humor exeat.

Hoc

Hoc oleum est excellentissimum ad tremorem cordis remedium, per se sumtum sine quauis additione.

Appendicula quædam adiecta de rupturis ossium.

Ossa quocunque modo rupta, per infrascriptum vnguentum optimè consolidantur, singulis ordinatè coniunctis.

R. Mellis ℥.ij.
Antimonij & vitrioli oleorū ʒ.ij.
Axungiæ taxi,
Seui ceruini,
Axungiæ vrsinæ,
Saponis ana ℥.j.
Terebinthinæ ℥.j.ß.
Ceræ ℥.ij.

Coquantur in vnguentum, pro more, quo rupturæ sunt ad ignem calida manu perungendæ, &c. Mirum in modum præ cæteris curat & sanat optima consolidatione.

Tractatuli primi Finis.

TRACTATVLVS SECVNDVS MEDICINAE COELEstis, siue de signorum Zodiaci Mysterijs.

DATO cœlum circulo cinctum est in circuitu, quē Zodiacum vocamus, & in duodecim partes æquales diuiditur, his nuncupatas nominibus, & characteribus designatas, prout sequitur.

♈ Aries.	♌ Leo.	♐ Sagittarius.
♉ Taurus.	♍ Virgo.	♑ Capricorn⁹.
♊ Gemini.	♎ Libra.	♒ Aquarius.
♋ Cancer.	♏ Scorpio.	♓ Pisces.

Sigillum Arietis in sequentibus.

R. Martis ℥.ſs.
Solis ʒ.ij.
Lunæ ʒ.j.
Veneris ʒ.ſs.

Hæc metalla simul hora, die, nec non puncto, quibus Sol primū Arietis gradum ingressus fuerit, (quod plerunque Martij die decima fieri solet, vel circiter) igne violentissimo liquefacienda sunt, sed primū, nempe ferrū, in limaturas est redigendum, quod aliter liquefieri nequit. Liquefactis & præparatis omnibus, die Martis, Luna in Arie-

tis

tis signi gradu nono, aut decimo, vel circiter existente, quod plerumque fit singulis mensibus semel: eadem hora debet absolui, sed appendi, cùm Mars in noua domo cœli fuerit octaui.

Aries.



Sigillum hoc est certissimum experimentum, ad fluxiones omnes & catharros, à capite descendẽtes in ceruicem acromias, &c. Purgat enim cerebrum, & capitis phlegmata quæuis exsiccat, ac omnia, quę caput concernunt, mala prorsum emendat, gestatum noctes & dies, Arietis signo cõtra cerebrum conuerso.

Sigillum Tauri fit ex sequentibus metallis.

R. Veneris ℥.j.
Iouis ʒ.j.
Martis ℥.ß.
Solis ℥.ij.

Liquefactione ſimul commiſcenda ſunt, Sole in Tauro exiſtente, quod ſingulis annis fieri ſolet octaua die menſis Aprilis, & vel circiter. Statim in puncto Solis, ingreſſus dictum in ſignum, hoc ſigillum incipi debet, abſoluique, vel aliter opus hoc erit fruſtraneum. Et cùm Luna decimum Tauri gradum ingreditur, appendendum eſt. Poſſunt ad huius operis expeditionem ſculpi ferramenta quædam priùs, quibus cudatur ſigillum poſt fuſionem, quo citiùs inſculpantur omnia ſigna, verbáq;. Sic de cæteris omnibus ſigillis fieri poterit. Nam ſæpiùs hora præterlabitur, antequam abſoluta ſint, indéque huic rei maximum detrimentum accidit. Quandoquidem notandum hoc loco tempus, operationes adferre potiſsimas, atque maximas.

Taurus.



Huius ſigilli natura, proprietáſque, remedium excellentiſsimum exhibet illis, quibus

bus genitoria virtus ademta fuit, si fuerit ap pensum, vt vsque ad vmbilicum pertingat, signo Tauri contra carnem & corpus verso. Viris & mulierib. auxiliũ pręstat optimũ.

Sigillum Geminorm.

R. Auri & argenti ana ℥.j.

Liquefiant ambo simul, Sole signum Geminorum ingrediente, quod accidere solet circiter decimam, aut vndecimam plus minúsue diem Martij, iuxta cursum anni. Quapropter annus, quo sigillum fieri debet, primò calculandus est. Duæ laminæ sunt ex mixtura prædictorum metallorum construendæ, quibus insculpenda signa iuxta picturam infra positam, dum Luna fuerit in signo Leonis aut Piscium. Sed appendendum est sigillum perfectum, eo tempore, quo ☿ in prima domo cœli fuerit, aura grata, serenáque existente, facie nummi signum Geminorum habente, super cutem nudam versa, gestáque. Prædicti nummi per circulum ex eadem materia fabrefactum, & vix medio transuerso digito latum connectendi sunt, vt sese mutuò non tangent, faciebus non signatis aut lateribns, at inter eas tanta sit distantia, vt fistula posłsit interponi, quæ calamum capiat anserinum argento viuo plenũ, & obstructum postea mastice, fistula

quoque metallina calamum continens, etiam obſtruenda eſt, poſt completum opus. Argentum viuum in calamum infundendum hora, dieque Mercurij, Luna deficiẽte.

Reliquum in exemplari Germanico deſiderabatur, vtpote vis atque virtus eiuſmodi ſigilli, quò factũ, vt vobis traducere nequeamus hactenus, donec forté nobis in poſterum ex aliis exemplaribus innoteſcant. Nec voluimus ex nobiſipſis quicquam fingere, quod conuenire potuiſſet. Interim ſĩ tanta cognoſcendi vires eius voluntas fuerit, vt expectare nequeatis, quæritote probatis in auctoribus Aſtronomiæ, quæ ſint Geminorum vires in producendis morbis & aliis: tum demum, iuxta proceſſum præcedentium & ſequentium ſignorum, maturè iudicatote.

Gemini.



Cancer.

Iſtius ſigni ſigillum fit ex argento puriſſimo

ſimo hora, qua Sol Cancri ſignum ingreditur (quod circiter decimam vel duodecimam diem Iunij fieri ſolet) vbi Luna tamē in aſpectu bono ſit, & à nullo Planeta malè affecta, hora ſua Lunæ videlicet, ſigna hæc inſculpenda ſunt, ipſa creſcente, eadem hora debent incipi, nec non perfici, vel aliter fruſtra laborabitur.

Cancer.



Huiuſmodi ſigillum appendendum erit hora, diéque Lunæ, hac decreſcente, mundiſsimè geſtandum atque tenēdum. Virtus eius eſt iter agentibus fœliciſsima: geſtantibus contra hydropem vtiliſsima, tum aduerſus omnis generis defectus corporis ex humiditate, nec nō ſuperfluo quouis phlegmate prouenientes.

Leo.

Sigillum ipſius Leonis fit ſumma cum diligentia, ſolùm in Iulio, quū Sol in propriā

ſuam domum, Leonem ſcilicet, prædicti menſis die decimatertia, decimaquarta, vel circiter ingreditur: ex auro puriſsimo, ſub primum ſigni gradum liquefacto, laminatóque, priùſquam eadem hora prætereat. Poſtmodum quando Iupiter in propria ſua domo fuerit, Piſcibus nempe, ſigna ſculpenda ſunt ab vna parte, quæ delineata videntur in priore figura. Sed alterius nummi lateris ſculptura fieri debet, quando Luna fuerit in domo Iouis, videlicet Piſcibus. Notandum, ne poſt ſigilli fuſionẽ ampliùs in ignem veniat, aut aliter fruſtra futura ſunt omnia.

Leo.



Appendendum erit hora, diéque Solis. Virtus eius eſt in Iurium litibns excellentiſsima: fauores conciliat erga mundum hunc, viris & mulieribus illud geſtantibus. Ad febres quartanas eſt optimum remedium.

dium. Poterit etiam de liquore bibi, cui per noctem infuſum fuerit. Peculiariter contra peſtem internam & mortiferam eſt probatiſsimum, & contra quoſcunque morbos oculorum ex calore prouenientes, ac alios calores prauos, quos communiter volantes appellamus. Item ſi quis aduſtionem pateretur, ſigillo ſuper locum applicato, prorſus arborem extrahit. Hoc modo curauimus vxorum cuiuſdam Magiſtri Nicolai Barbitonſoris compatriotæ noſtri, habitantis in Villach Tranſſyluaniȩ loco, quȩ maximam patiebatur aduſtionem, eam prorſum extraximus vt locus aduſtus abſque dolore quouis, & puris emiſsione, per eiuſmodi ſigillũ perſanatus fuerit, Verum illud geſtauit in curæ finem vſque.

Virgo.



Sigillum Virginis fit ex Veneris ʒ. j. So-

lis vnciã semis: Lunæ drachmas duas, Iouis ℥.ſs. Hæc metalla debent Augusti mensis die dominica decimatertia, decimaquarta, vel circiter, hora Solis ingressus in Virginem, liquefacienda sunt omnia simul, & post effusionem, in laminam tenuem redigenda. Postmodum quando Mercurius ab alio Planeta fœliciter aspicitur, & in sua fuerit hora, iuxta calculationem & significationem horarum inæqualium Planetarum cœli, hæc signa cum nominibus, dictæ laminæ sigillóque sunt insculpenda, sic vt eadem vnica hora singula completa sint.

Appẽdendum erit eo tempore, quo Mercurius in prima cœli domo fuerit, aura serena (tum enim longè meliús erit) hora quoque Mercurij, modò cursus primæ domus in cœlo patiatur: si verò non, de hora simili parum refert, quanquam hora Mercurij se res meliùs habet.

Libra.

Sigillum hoc ex pura Venere quum Sol ingreditur Libram liquefaciendum, effundendum & faciendum est, quod accidere solet die dominica, decimatertia, vel decima quarta Septembris, iuxta cuiuslibet ingressum anni. Hoc animaduertendum vbi Venus illius anni fuerit Planeta dominãs, aut reserua-

reſeruator, multò maioris virtutis futurum eiuſmodi ſigillum, præſertim eis, qui nati ſunt ſub eodem Planeta geſtantibus, & ſi pro ipſis factum erit ac pręparatum Quum Venus in ſigno Libræ fuerit, ſigna, caractes & verba, quæ videntur in figura, ſigillo ſunt inſculpenda. Poſtmodum hora, diéque Veneris hora prima vel nona, quibus Venus regere ſolet, appendendum eſt ſigillum.

Libra.




Admirandum eſt contra faſcinationes omnes mulierum, quæ nonnunquam viris coeundi vires adimunt, & eis pro parte, qui bus cõtrariæ ſunt, vtiliſsimum. Summatim contra quæcumque mala, pudẽdorum præſertim eſt excellentiſsimum hoc ſigillum.

Scorpio.

Scorpionis ſigillum fiat ex ferro puro,

hora Martis ac eius die, nec non eadem hora, qua Sol Scorpionem ingreditur, quod circiter duodecimam, dacimamtertiam, vel decimam quartam Octobris diem accidere solet, vnicum latus insculpatur suis characteribus. Postmodum Sole in Arietem reuerso conscribatur alterum. Appendi potest ex arbitrio quouis tempore.

Scorpius.



Remedium est plurimùm admirandum contra veneno quouis infectos morbos. Item optimum est ac mirabile quibusuis illud ad collum gestãtibus, prout militibus, istorum ducibus ac illis, qui versantur in assiduis controuersiis. Similiter quod sequitur animal ex ferro puro formari debet, vt videtur, quando Mars anni dominus exstiterit, & Sole primum Scorpionis gradum ingrediente. Postmodum quando Mars in propria sua domo fuerit in Ariete scilicet,

signetur

ſignetur vt infra : tandem hora Martis appendatur. Domus, in qua fuerit, à Scorpionibus tuta redditur, omnéſque viui fugiũt ex ea: contra morſus etiam iſtorum eſt remedium excellentiſsimum. Admodum iuuat milites in conflictibus: Leproſis peculiariter prodeſt vnà cum auro poto geſtatum. Ab altera ſcribatur, vt hîc patet.



Ad caudam annulus ex auro puro fuerit affigẽdus, vt à collo ſuſpẽſum geſtari queat, capite deorſum. Certiſsimum eſt remedium ad fugandos cimices, vbi lecticæ fuerit appenſum.

Sagittarius.

Sigillum hoc fiat ingreſſus hora Solis in Sagittarium (quod annuè contingere ſolet Nouembris duodecima, vel decimatertia die) ſub ingreſsionis primum gradum: ſignetur autem hora Iouis, & appendatur ea-

dem hora, creſcente Luna. Hoc eſt ſecundum ſigillum, quod longo tempore quærẽs primùm cognoui, & quo ſecundum artem, quam profiteor, vſus fui ſæpiùs in aduerſariorum meorum irriſionem & ignominiam vt Onagrorum inſtar ſtupefacti ſteterint, nec os aperire fuerint auſi. Argenteum annulum eſt quòd habeat, aliter ex ſtanno puro conſtare debet, præter alterius additionem metalli. Mundiſsimè geſtandum atque tenendum eſt. Nam ſi tempore coitus non deponatur, ſuas vires amittit.

Sagittarius.



Iterum de perfidis & inuidis hominibus conqueri cogimur, qui quod ſuum non eſt inuidentes aliis, nil non mutilatum relinquunt, vt ſecundò iam apparet hoc libello, vires atq; virtutes ablatas eſſe, prout ſupra de ſigno Geminorum factum: item ex proteſtatione per ipſummet auctorem ſupra poſita hoc capitulo, quum ait: Iſtud ſecundum

dum fore ſigillum quod potiſsimúm exiſti mauit in arte medica. Fruſtra ſanè laborant æmuli: nam velint nolint, omne quod ſuſtulerunt è libris Theophraſti Paracelſi, redibit ad lucem è tenebris. Prudènter enim auctor ante mortem locis diuerſis eoſdem libros muris incluſit, vt poſt eam ſi perirent vno loco, ſeruarentur alio bonis, ne qui per uenerunt ad malorum hominum inuidas manus, aut perpetuó laterent, vel mutilati prorſum emergerent. Sic fiet, vt iſti nobis locis reſtituentur integri ſuo tempore, pateantque tenebroſæ, malæque vitæ homines, nil præter ſeipſos amantes.

Capricornus.



Eſt quòd cum Saturno iam agamus, & ſua progenie. Sigillum hoc fit ex auro: nam plumbum aliis metallis nullam operationem exhibet. Annulus cupreus fore debet, & vnà cum ſigillo hora Solis ingreſſus in

Capricornum, & quum Sol à nobis maximè distat. Signetur sigillum hora, diéque Saturni & quum ♄ aspectũ cum alio Planeta bonum habuerit: appendatur, Luna decrescente, vel in eius minutione, hora quidem aspectus, siue Lunæ sit, aut alterius Planetæ, non refert. Fauoris nummus vulgò dici potest hic: aliis verò Sigillum, quod Lupum in cruribus persanat. Prædecessores nostri curam istius reperire per artem non potuerunt, existimantes hac de causa morbum incurabilem existere, cùm tamen hæc sit eius optima, sine quouis alio medio, cura.

Aquarius.



Quũ Sol in Aquarium ingreditur, Mense Ianuario, fiat eadem hora sigillum, ex liquefactione mixtorum metallorum, vt auri ℥. ss. Saturni ʒ. ij. Martis ʒ. j. vsque ad insculptionem. Quum autem Planeta Saturnus in

in domo cœli nona fuerit, ſculpantur hæc ſigna verbáque citiſsimè poſt vnum aliud. Non appendas priuſquam Sol in terra fuerit, & in hora Saturni: tum ſuſpenſum ad contracturas, morbos frigidos & contractos neruos erit vtiliſsimum: ad memoriæ conſeruationẽ, fauorem erga homines conciliandum, & contra venenum optimum, vt probari poteſt, appoſita quantumuis venenoſa quapiam aranea ſigillo, fugit, nec vllo modo manere poteſt.

Piſces.



Sigillum Piſcium in Februario fieri debet, quum Piſces Sol ingreditur, ex ſequentibus metallis.

R. Auri,
Ferri,
Cupri,
Argenti ana ʒ.ij.
Stanni ℥.ſs.

Liquefiant omnia ſimul, effundantur, formetur & ſignetur ſigillum ingreſſus eadem hora. Poſtmodum quando mitis Iupiter in octaua cœli domo fuerit hora, diéque ſuis, nempe Iouis. Hoc eſt admirandum inſtrumentum ad ſedandam & expellendam cholerã, ex qua naſcuntur admodum graues morbi, prout contractura, paralyſis contractio, ardores, &c contra quæ mirabile præſtat auxilium viris & mulieribus. Mitigat podagricos dolores, ſpaſmũ aufert, ac omnes dolores ex fluxionibus prouenientes.


Sigillum hoc longè ſuſpenſum eſſe debet ſub vmbilico.

Finis myſteriorum Zodiaci.

TRACTATVLVS TERTIVS DE NONNVLLIS NATURÆ *communioribus ſecretis Theophr. Paracelſi.*

INuenta coniunctione Martis & Saturni in cœlo, ferrum accipe, murémque priùs ex eo formabis quàm eiuſmodi coniunctio prætereat, & hora Iouis inſcribito ventri muris hæc verba ALBOMATATOX.

MATATOX. Poſtmodùm Luna exiſtente in ſigno Cancri nono, vel decimo gradu, lateri dextro ιυηϑεμῶϱαλιξ. Luna deſcendente poſt, & in ſigni Piſcium nono vel decimo gradu exiſtente, lateri ſiniſtro, quod ſequitur, inſculpito : יירשתתב, & ſuper dorſum, in puncto plenilunij ab initio ſpinæ vſque ad caudam, hoc verbum vnà cū ſignis, put videtur IO†NATVRA SVA



Nota, quòd à ſigno Veneris, vſque ad centrum alterius caracteris, linea per tranſuerſum protrahenda ſit. Tandem huic muri collarium præparabis ex Saturno puro, creſcente Luna, Saturni die, prima noctis hora, quæ Saturnea eſt, & iſtos caracteres inſculpes IL Con. 3. ♃. AB Ελια. His ad hunc modum abſolutis, adapta collarium hoc in coniunctione Saturni cum Marte, prout ſuprà, & colloca circiter medium aut centrum domus, fugient ex ea glires & mures omnes, quæ in ipſa fuerint: & ſi fortè poſtmodúm intrárint extranei, non manebunt vltra horā, quin exeant. Si mus viuus huic metallico muri filo fuerit alligatus, non viuet ſuprà horam, ac morietur, non ſecùs ac ſi venenum ediſſet, inflabitúrque.



De Ouibus.

Vt nedum habeamus, quo nocitra pella-

mus animalia, ſed etiam vt conſeruemus vtilia. Cùm oues peſte ſua corripiuntur, fabrefac ouem ex limo, prout ſequitur:

R. Limum vel Argillam ex tribus diuerſis locis, & circa locũ, in quo moraris, item arenam fluentis aquæ, de qua potiſsimùm bibunt oues iſtæ circa locum eundem. Omnia ſimul pinſe, cúm Luna minuitur, & ex eiuſmodi luto figuram ouis tibi finge, ſub horam, qua Luna diminutionem pati cœperit, & hæc ſigna cum verbis ſuperſcribe hîc atque illic:


 .EFERET. + HOGERET. +. IAGEREL. ϖυμῶτε


 Γαλειτε·  γῶυϱῶλ. Sanor. Panor. Tanor.

 Ιλῶυφ. Hanc ouem in ouile colloca ſale conſperſam, & eã viuas oues lambere ſinito. quotquot lambẽt, aut ſal hoc deguſtarint, nõ infirmantur, nec moriuntur ouili peſte: correptę pariter lambendo liberantur ab ea. Tantùm natura poteſt in ſimilibus.

Non ſecus bobus & porcis media præparari poſſunt, ac aliis animalibus, vnicuique tamen iuxta ſuam naturam, tempus atque diem. Boues, qui ſanguineũ patiuntur morbum, ſuam in eo peſtem habent, vt equi ſuis in viuulis mortem repentinam. Ad ſanguinem ſcribas in ouo recens nato. Ambram-

mo

mis  Gorelis  Vortix 

σιλμυῶ ϖαριχ  ϖαμῶχ 


Aperiatur os bruto, & ouum ei ſuper lin guam comprimendo frangatur, & cogatur deglutire, ſtatim inde ſanabitur, non bibat ante horas duodecim poſtea.

Itidem equo viuulas patienti, ſolùm excepto, quod loco verbi huius & ſigni ambrabo, & crux, vt ſuperius, ponatur hoc &  ſignum. Kupfamilon, & ſtatim euomet. Poſtea dato illi menſuram auenæ cum ſale & aceto, ac inde poſt horas duodecim cura, vt potet. Statim atque prædictam auenam edit, equitabis per horam vnam vel alteram, vt ſudet, poſtea quieſcat. Hæc ſunt naturæ ſecreta, quæ tempus, dies & horæ poſſunt, & ſine his nihil horum efficitur.


Ad muſcas.

Hoc genus animalium homines infeſtat, æſtatiſque tempore cibos immundos reddit, ac iniucundos: vt abigas, ita facito. Premulam tibi confice calybeam prorſus, ſuper cuius capulum hæc ſigna, ſub puncto

quidem plenilunij, vt in figura videtur, insculpito.



Et à capulo deorsum separatione dictorum signorum & verborum facta, sculpantur lineę tres ad cuspidem omnes tendentes, vnam in nouilunio, secundam in alio plenilunio, tertiam rursum in nouilunio. Postmodum sub coniunctionem ♄ & ☾, scribito verba, quæ sequũtur, & signa.



Si premulam hanc in parietem fixeris, vbiuis exstiterit, & circum eam duxeris circulum creta, mensalis orbis amplitudine, quotquot aderunt muscæ in circulum intrabunt, & ibidem residebunt omnes tam diu donec premulam extraxeris, tum demum euolabunt, homines, vt priùs, vexantes, &c.

Finis tractatuli tertij.

TRACTATVLVS QVARTVS DE TRANSMVTATIOnis metallorum tempore.

SI fortè tuum delectet animum, ars tranſmutationis auri in argentum, vel quod potiùs erit, argenti in aurum, aut aliàs metalla cuiuſpiam in aliud, ex ſequenti menſula tempus commodum addiſcere poteris. Nam ſanè facilima hæc eſt occaſio, qua citiùs & ſine periculo magis, ad optatum opus tuum peruenire poteſt.

Menſa tranſmutationis metallorum, tempus commodum indicans.

Tranſmutaturus in ☉	☽ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿	incipe cùm Luna fuerit in 6. gradu	♋ ♉ ♈ ♓ ♒ ♍	ſemper hora Planetæ, quē tranſmutare cupis.	☽ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿
♄	☉ ☽ ♂ ♀	20. gradu.	♌ ♏ ♋ ♉		☉ ☽ ♂ ♀

	♃ ☿ ♀		♓ ♍		♃ ☿ ♀
☿	☉ ☾ ♀ ♂ ♃ ♄	1. gradu.	♌ ♍ ♋ ♉ ♓ ♒		☉ ☾ ♀ ♂ ♃ ♄
☾	☉ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿	12.gradu.	♌ ♎ ♏ ♐ ♈ ♊		☉ ♀ ♂ ♃ ♄ ☿
♀	☉ ☾ ♂ ♃ ♄ ☿	9. gradu.	♌ ♋ ♈ ♓ ♒ ♐	hora.	☉ ☾ ♂ ♃ ♄ ☿
♂	☉ ☾ ♀ ♃ ♄ ☿	18. gradu.	♌ ♋ ♉ ♐ ♏ ♍		☉ ☾ ♀ ♃ ♄ ☿
	☉		♌		☉

	☾		♋		☾
♃	♀	3. gradu.	♎		♀
	♂		♏		♂
	♄		♒		♄
•	☿		♓		☿

Primum exemplum ſic pronunciato, cætera conſequenter, vt iſtud.


Tranſmutaturus in Solem Lunam, incipe quum Luna fuerit in ſexto gradu Cancrorum hora Lunę, ſic de reliquis. Haud fruſtraneæ ſunt obſeruationes temporum in tranſmutationibus. Omnia ſiquidem, quæ fiunt in hoc mundo, negotia, fœliciſsimè iuxta curſus cœleſtes ac Planetarū inchoantur & perficiuntur. Cùm nos mortales omnes, ſecundùm operationes firmamenti, per omnipotentem creatorem Deum ordinati, regamur: ſanitatem & infirmitatem, ac iterum ſanitatem acquiramus. Pariter & in medicina ſunt operationes iſtæ notandæ, nec non obſeruandæ, quòd ſimplicia ſæpè ſuas operationes iuxta ſua tempora habeant.

Finis Medicinæ cœleſtis Philippi Theophraſti Paracelſi.


CHARACTERES
LECTORI.

Ne quid desideraretur prioris editionis characteres hîc attexere licuit, tum vt suum cuique iudicium integrum maneret, tum vt fidei simul & laboris in emendando præstiti ratio constaret.

pagina 97.



Pagina 99.



Pagina 101.




Pagina 103.



Pagina 105.



Pagina 106.



Pagina 112.



Pagina 113.




Pagina 116.






Pagina 117.




Pvgina 118.





Pagina 119.





Pagina 121.





Pagina 121.





Pagina 123.



Pagina 125.



Pagina 126.



CHARACTERES


Pagina 130.




Pagina 132.



Pagina 134.




Pagina 135.




Pagina 137.



Pagina 138.



Pagina 131.



Pagina 133.



Hanc vltimam figuram inſeres paginæ 121.huius editionis,cuius titulus eſt *Ad ſpaſmum.* *Cap. XIIII.*




PRIORIS EDITIONIS.

Pagina 139.






Pagina 140.







Pagina 109.




Pagina 108.



Pagina 123.



Pagina 142.



Pagina 141.



Pagina 143.

